


BIBLIOTEKA

Zakl. Nar. im. Ossolińskich

XVI

126



MVNVS CIVILE  
REGI SVO  
SERENISSIMO MONARCHÆ  
MICHAELI  
DEI GRATIA,  
R E G I  
Poloniarum ac MagnoDu-  
ci Lithuaniæ &c. &c.

FIDELI SVBDITO  
OBLATVM.

*Autore*  
VES PASIANO à Kochow KOCHOWSKI  
Eqvite POLONO

7.452

CRACOVIAE,  
Ex Officina SCHEDELIANA S. R. M. Typ.



XVII-126-III

•(50)•(50)•(50)•(50)•

# SERENISSIME REX DOMINE MI CLEMEN- TISSIME.

**E**cerint sanè complures, ut aspicato in  
Regiam Urbem ingressu, MAIESTA-  
TEM TVAM salutauerint Pio eruditæ  
vocis officio. Facio ego quoque in hac Vniuersali  
omnium latitia, quod in hac temeritatis cum pie-  
tate lucta ad altus facere debui, nam vehemens  
quandoq; affectus vnde cogendi habet. Quid  
enim rebus Polonis, aut nobilius ad gloriam, aut  
certius ad salutem contingere potuit, quam cum  
Piastæo sub schemmate, pacifica diuturni regiminis  
secula speramus: Ego quoq; cum gaudentibus gau-  
dens, hic inconditam opellam conuerti, ut dum  
magna nequeo, quantula possū Tibi Regi meo dedi-  
cem. Agrestis Persa olim frigide plenā manu obla-  
ta gratum munus Regi suo ex mente offerentis dedit:  
Tu quoq; Serenissime, non temnas obsecro, in secessu  
ruris elucubratam scriptiōnem, imò eisī inferius  
materiæ dignitate artificium est, acceptabis agre-  
sionem.

ges ab Aratro Musas qualicet si incomptæ Mu-  
sa esse non desinunt. Deprecor interim apud Te,  
ingenij renuitatem, certè intentionem, ut non cul-  
pes, facile poteris exorari. Cui si faues manci-  
pata perenni Nominis Tui Famae, inseruier. Re-  
cipe ergo benignus, hoc debitum addictamentis Ve-  
tigal, quod si probas, mea e<sup>st</sup> inuidentium  
vota supergressus sum. Verum in publica com-  
moda peccem, si prolixioris Nuncupatoriae Pom-  
pa, Te Serenissime noster distineam. Jam verò  
præter mea e<sup>st</sup> omnium pietatis vota, nihil quic-  
quam superaddo, nisi perpetuum Salve Regum o-  
ptime ac prosperè procede e<sup>st</sup> REGNA.

Scrips<sup>t</sup> Golicinioru<sup>m</sup> rure meo paterno Instaurare Salutis  
Anno 1669. Die 27. Septembri.

S. R. Maiestatis Suæ

Fidelis subditus ac humilis  
Seruus

VESPASIANVS à Kochow Kochovavsk<sup>i</sup>,  
Eques Polonus.

# PANEGIRYCVS.

Vassatam per diuersos aestus,  
Regni Sarmatici nauem, Viri  
Poloni, Optato portui applica-  
ri videmus, ac mutuo lætabun-  
di gratulamur. Quot etenim per Quatuor  
Lustra tètendimus vota? secundos expe-  
ctantes inter turbida ventos? Quot emi-  
simus non recepta cælo suspiria? Quàm  
longa expectatione meliorum, spes no-  
stræ lassatæ? Quoties sole repercussa nu-  
bes fulsit, credidimus détumescere flu-  
ctus, & tranquillatis ventorum turbinibus,  
opinabamur constantem redire Oceani  
nostræ malatiam. Accusabamus inclemen-  
tiam Fatorum, de malignitate Fortunæ  
querebamur, miseri nec aduententes, ex  
quo fonte perpetua malorum scaturigo

in nos deriuaretur : quæ impatiens Aeolici  
fræni tempestas, hanc Argonautæ LECHI ca-  
rinam quassauerit. Sæuus quippe ab Orié-  
te Apelliothes, repentina vi coortus; *Summa*  
*imis miscebat.* Ominosa Aquilonis tempe-  
stas, fædo imbrè nos inuoluit. Iam Boreas  
ab extrema Septētrionis recessu violētior,  
pertinacissimo flatu instabat. Eurus quin  
entiā Carpatorum mōtiū repagula trans-  
uolans horribilem, etsi non adeò diu dura-  
turæ procellæ, vim effudit. Quæ autem a-  
strorum cōstellatio, portentosā tempesta-  
tem causauit? Demerita certè nostra, ac læ-  
sæ Diuinæ Maiestatis Crimina, vtricem ac-  
cessiuere Nemesim. Profundæ pacis bonis  
elata Tyrus nostra, in superbiam prolapsa  
est, rebus secundis intumuit, arroganter  
se gessit, acceptum tranquillitatis publicæ  
beneficium, non ad authorem Deum refe-  
rens. Sed in præceps ruunt cuncta mor-  
talium, quæ sē contra Diuinam Maiestatē  
attollunt. Oculos sublimes detestatur Do-  
minus. Ergo illa superficialis magnitudo,  
in hy

in hydropisim degenerauit, simul ac ser-  
uili ferro incisa vena est , deturgescit tu-  
mor, gracilescit personata Felicitas, at-  
tenuatur magnitudo Nauis hæc , dissitis  
gentibus, ac Prouincijs portans Panem;  
dum vernaculas merces Exteris commu-  
nicat, exotica gulæ irritamenta adferens,  
priscam veterum Polonorum frugalitatem  
dediscit. Hoc philt-um peregrini Luxus,  
eneruauit natuam Sarmatarum insolem,  
ad hoc Offendiculum Polona cespitauit  
Fortitudo, ad has Syrtes, impellentibus vi-  
tijs nauis hæc nostra, allisa est. Sed quod  
tamen non in imò defederit, quod scilicet  
impetita fluctibus, non obruta; quod qua-  
silita, & nondum Naufraga. Supremi Nu-  
minis fauore actum credo. Etsi vero con-  
cussa Prora antemnisq; fracta anchora, dis-  
ruptis rudentibus, laceris velis; dispen-  
satis tamen extremo nisu remorum iecti-  
bus, ad Caput Bonæ Spei enauigat. Sed  
quis portus? quæue statio? hoc titubans  
Regni nostri Nauigium tuto recipiet? Ce-

Iebris ille Anconitanus procul est, Foggianus longo terrarum spatio dissidet, Fossis in Narbonensi Gallia Marianis adiutori haud tutum. Rhenus, Sequana, Ligeris, strictiores alueo, quam ut capaces tantæ ratis, forent. Non deessent certè spatiosi Baltici maris sinus, ferreis olim columnis à Boleslao Rege distincta vetus Regni possessio, paterent amplissimi Ponti Euxini recessus, sed vtrumq; displicet; subducere nimium procul hanc ratem, tam intutum, quam imprudens credere, nondum adulteris constantiae experimentis, vicinorum amicitiae. Depressa virtus, raro cōmiserationem inuenit, calamitates eluctatæ persæpè irritauit inuidiam. Quid ergo? Meditullium Poloniæ, sit secura statio receptusq; in hoc portu, nauis nostra hopitabitur.

Subi ergo gratissima hospes, Vavelli Tui Promontorium, vtere fudo aëris, ad vetustam Craci coloniam, reficiens quasfata; rupta sarciens, fractis substituens recentia

centia. Interim dum omnis ætas, ac com-  
ditio hominum turmatim se effundit ad lit-  
tus, dum vagis sermonibus mirantur quas  
satæ, nec fatigentis machinæ molem,  
Rumpam & ego ingratum silentium, &  
vniuersale totius Poloniæ gaudium, rudi-  
haccè, & incondita voce, cumulabo.  
Nulla mihi iusta erubescendi causa, si inter  
sonoros eruditorum plausus, gracilis de-  
pressa tenuitate oratio mea audietur mi-  
nùs: faciam & ego minorum auium more,  
quæ ad suave canentis Lusciniæ melos,  
suos modulos ordiuntur, non æmulandifi-  
ducia, neq; vt assequantur, sed pro posse  
cuiusq; cantu, æthera mulcendi. Euno-  
mius olim Locrensis, vt Strabo memorat, cū  
Aristone Regino fidibus certabat, iamq;  
alterius subito rupta chorda ad Aristonem  
Victoriam transtulerat, nisi cicada fortuito  
casu superuolitans, imparem Cytharæ Eu-  
nomij fracta fidè symphoniam, stridore  
suo supplexset. Ita sanè nihil adeò subli-  
me, aut omnibus numeris absolutum est,

quod non etiam minimi adminiculo, ful-  
ciri possit. Ego quoq;

*Ad sacramatum Carmen affero nostrum*

Quod etsi / conscientia tenuitatis ,  
facilè credo ) stridulum melos dabit ,  
in patriam tamen professione pietatis, ac-  
ceptatum , aut excusatum reor. Experiar  
igitur idque eo modo. Ut primo ad pri-  
mam Causam mea conuertatur Oratio,  
tum ad secundam digressus, Libertatis  
Polonæ Typum . ac nuperæ Electionis se-  
riem, quâ possum , graphice dabo. Post  
Corybuthæ generis attacta vetustate, Fi-  
nem ; propter quem est id, quod est, Sere-  
nissimus noster, Sarmaticæ Nauis affigam.  
Ita ergo Numen æternum gratum esse  
pietas, erit Bona Libertatis nosse, non inu-  
tile ; claritudo Regnantis ad existimati-  
onem Gentis faciet: Deniq; ex Ciuilis do-  
ctrinæ penetralibus eruta dogmata subi cisi-  
fe, velut in adiumentum memoriæ haud  
incongruum fuerit.

Firmari Regna pietate, & sincero Nu-  
minis

minis cultu velut Basi, ac subtractioni,  
cuidam roboreæ inniti; iam sacræ Pagi-  
næ veterumque Sophorum Scita, iam con-  
sensus Gentium, & innumera exempla  
docent. Super hæc vniuersalis mundi fa-  
brica, suum esse, ac Creationem ad pri-  
mum illud Principium, in quo omnes mo-  
uemur, vivimus & sumus, referens: etiam  
Athæos ( si qui porro scandalosa senescen-  
tis mundi macula reperiantur ) assentiri  
cogit. Quippè non solum cælestes sphæræ,  
inoffensa velocitate mobiles æternæ Legis  
imperio, circumagi palam est; & quæ alia  
basilicam creantis ostendunt potentiam;  
sed in minimis quoq; patent explicantis se  
Prouidentiæ effectus, & vniuersa vnum  
esse, omnium Regnatorem Deum agno-  
scunt. Quo dictante, mellita apum agmi-  
na, dulci præda infarciunt cerata aluearia.  
Vnde minutulo gregi Monarchici status  
ac regiminis imitatio? vnde vili infecto for-  
micæ, ea futuri Cura, vt congesta grana  
æstate in hybernos conseruet usus. Tam  
mini.

in minimis Deus est Magister, & id quidem  
Neotericorum non nemo, eleganter ex-  
pressit.

*Syluarum Pelagiq; pecus, pictæq; Volucres  
Varioriq; florum, cerne ridentum choros  
Cuncta Deum sine Voce clamant*

Debetur èquidem omni iure, summo  
illi ac æterno Opifici Deo, vel propter na-  
turæ præstantiam Honor adorationis, vel  
propter collata in vniuersum beneficia, sub-  
missa gratitudo, vel propter immortaliū  
bonorum, quæ speramus ab ipso, deside-  
rium, omnigena supremi Dominij recogni-  
tio. Exolue & Tutot ditata bonis, cumu-  
lata beneficijs, & toties ex ipsis pæne  
faucibus erepta Polonia, Exolue inquam  
debitum gratitudinis, ad Maiestatis æter-  
næ supplex te prouoluens subsellia. Tu  
Polonia exigua olim extorris L E C H I co-  
lonia, non inepte grano synapis compa-  
randa, quantitate seminis exili; sed pingui  
humore mox in arborem exitura. Certe  
creuisti felici manu satus sarculus, in pa-  
rem

rem alijs oleribus sublimitatem, florueristi  
ac germinasti, in longam latamque domi-  
nationem extensus. Ab oriente Pontus  
Euxinus, ab Occidente Balthicum mare,  
terminos tuos constituunt. Septemtrio  
densos plusquam Herciniæ sylvæ saltus  
objicit. A meridie Carpatiarum Alpium  
iugis, vastissima circumferentia distin-  
gueris. Regio nullis montium fastigij  
gibbosa, sed perpetua planicie æqua, flu-  
minibus irrigua, felici gleba fertilis, &  
donec castigari meruisse, omnium rerum  
ad abusum diues. Tu inquam in eam am-  
plitudinem tetendisti ramos, à Vicaria  
CHRISTI in terris potestate, paterno sem-  
per culta affectu, Sacratissimis Romani  
imperij Augustis, per multiplices sanguinis  
nexus concatenata, potentissimis Regum  
Amicitiae intuitu, ferociissimis gentibus, in-  
uicta fortitudine; omnibus æquanimitate  
eo usq; commendata: ut quo cognitio No-  
minis Poloni vix penetrauerat, eo cultus  
ac reuerentia gentis eniteretur. Sed Vn-

B

de



de ista? Ex quo fonte tanta promanatio  
amplitudo? Dextera Domini fecit virtutem,  
quia in gentem Magnam creuerimus; cæle-  
stis auor iste. Et veterum quidem bene-  
ficiorum obliuisci, ingratum esset, præsem-  
tia filere, onerosum pietati. Ergo inscruti-  
tabili in arcanis Iudicijs, præpotenti in  
Electis, mirabili in Regnantibus, immor-  
tali D<sup>o</sup>. huius tanti boni, ut aliorum  
omnium auctori gratiæ, quantas maximas  
animus noster capit, agendæ sunt. Illud  
enim supremum Numen, per quod Re-  
ges regnant, male usurpata humanæ am-  
bitioni Iura sua repetens, ac Diuini Pneu-  
matis spiramine corda Ciuium conglu-  
tinans, per concordes suffragantis Popu-  
li voces, Serenissimum MICHAELM con-  
stituit super Thronum Poloniæ. Adeste  
nunc animis Ciues Sarmatiæ, & lassatas  
multa admiratione mentes, recolligite.  
Agnoscite in pacata, ultra spes, Electione  
miraculum, in Miraculo gratiam, in Gra-  
tia Deum. Vt feruebat Electoralis arena  
concur-

concurrentium ambitu, ut præhensioni-  
bus Apricum illud Circi æstuabat. Quisq;  
sibi, Regem spe, voto, metu, veneratione  
cum istum nollet, destinabat alium, & pri-  
uata studia, inanibus spebus grauida, iam  
parturire videbantur. Interim per vocem  
populi, explicante se ab ætern æ ordinati-  
onis Decreto, repulsam Competitores pas-  
si, per nec cogitantis sublimationem. Vn-  
de nam tam subita rerum Methamorpho-  
sis, sacra pagina luculenter informat:  
Ut cognoscant viuentes, quia dominatur  
Ex celsus in Regno hominum, & cuicunq;<sup>Danielis</sup>  
voluerit, dabit illud, & humillimum ho-  
minem , constituet super illud.

Quæ cùm ita sint, pandite iam Templo-  
rum ostia æditui, pateant cunctis sacra  
penetralia, intrato faustis cum acclama-  
tionibus S.P. Q. Polone, non iam ad pul-  
uinaria fictæ deitatis, sed ad immaculatas  
viuificantis Hostiæ aras, cernua accumbe-  
turba. Vos in primis Leuiticæ Tribus  
Principes, adolete incensum benefico Ny-

mini, fument Sabæis altaria odoribus. Post  
hos Regni columnæ, trabeati Senatores,  
currulibus sellis delapsi, Nouæ fortunæ pro-  
toplasten Deum adorate, Deum pacis, De-  
um vnitatis, ac concordiæ, qui vos præcinc-  
git virtute, qui disponit pedes vestros  
tanquam Ceruorum, & super excelsa sta-  
tuit vos, supplici gratitudine compellate.  
Tu verò Equestri dignitate celebris ordo,  
fæcundū autem nobilitatis germen, præstā-  
tiſſima Regni huius portio, quæ arrhabo-  
nem Libertatis, pignus gentis nostræ inæſti-  
mabile, commendatissimo ad posteros e-  
xemplo, fartum teſtum tueris, quanto plu-  
ra tibi tribuit Deus quam voluisti, tanto  
submissius, retribue æterno largitori gra-  
tam mentem. Omnes deniq; mortalium  
quos remotissima climata, idiomatum va-  
rietas, & non vna generis propago fecer-  
nit, nihilominus sub alis aquilæ Polonæ,  
aut Cataphracti Lithuanici commorami-  
ni, Occinite Gratum omnipotenti Pæana  
Te Deum Laudamus

Ex hac Æde gratiarum actionis, nunc

in aream, non obiectu claustorū aut  
cellis circum septam, sed Ioue sub Libero si  
placet, diuertamus. Libertas, quæ omni-  
um desideria in se conuertit, cunctis opta-  
bile, paucis assequibile, bonū est. Natura  
quidem vniuersos mortalium, Liberos vo-  
luit esse omnes, vsq; adeo, vt bruta etiam  
cum intellectu alsequi nequeant, bona  
libertatis, sensu percepta seruitutis mala,  
vel morte effugiant. Aues in caueis fa-  
cilem escam fastidientes, solutum aerem,  
delicatis præferunt ergastulis, transiliunt  
retia cerui, molosorum potius dentibus  
lacerandi, ne irretiti in manus venato-  
ris deueniant. Vri vbi indagine se clau-  
fos, nec effugij spem vident, adeo non  
ad seruitium le natos putant, quin illis  
arbori capite seipso enecent. Quidni ad  
imaginem Dei creatus homo, alieni impe-  
rij superbiam ferat, aut ad vnius libitum  
resignato libero arbitrio, perpetuo manci-  
pium ager. O Homines ad seruitium pa-  
ratos, inclamabat olim liberi status osor

Tiberius, sed idem ille dixit, qui fecit, idem  
oppressit, qui & exprobrauit: idē ille Im-  
perator, non quod meritus, aut publicæ fa-  
mæ iudicio, sed quod subtili in pessimis a-  
cumine esset, vitricus Patriæ, non pater,  
Dominus Ciuium, non Princeps, super e-  
uersæ Libertatis ruderā, acerbæ seruitutis  
iecit fundamenta. Alius sauente Numine  
Polonorum genius, ac Regni Typus est:  
diuersa à Romanis ratio libertatis, deniq;  
ut initio, ita fine dissimilis. Romani, pul-  
sis Regibus, pepulerant seruitium, nos ac-  
ceptis, confirmauimus libertatem, illis ac-  
quisitū bonum, nobis coæuum est, illi pro-  
*curris*, pinata libertate altera manu Orientem, al-  
tera occidentem præhendentes, concipi-  
scabant etiam quæ non caperent. Nos nee  
seruire ulli possumus, nec imperare desi-  
deramus. Emancipata Roma cōsulari, aut  
Dictatoris rigore, continebatur, vbi cum  
adulta fortuna adoleuerunt vitia, post de-  
victum orbem, nimis felicitatis æstu lassa-  
ta, libertas Romana clanguit. At Polo-

na sīmūl cum prīscis Sarmatarum Duci-  
bus natā, & educata, eosdem habuit alto-  
res & alumnos; Parentes & Principes, qui  
non plane ingentios sē credebant, nisi libe-  
ris, imperarent. Ad extreūm nē felici-  
tate temporū hāc compages dissoluere-  
tur, adstric̄ta Legum vinculis est. Eoq; à  
suscepto Fidei lumine septingentos fermè  
per Annos firma ac immobilis. Illa Li-  
bertas Polona est, quam Princeps Orato-  
rum eo adumbravit penicillo. Est pōrestascia. p. 1.  
viuere, ut velis, is autem viuit, ut vult, qui  
recta sequitur, qui ne legibus quidem pro-  
pter metum paret, sed eas colit, quod salu-  
tare maximē iudicat. Ita sanè est, non ab-  
errasti sui sæculi. Decus, in efformando  
venustissimæ moralium virtutum Typo,  
expressisti ad amūsim formam præclaris-  
simi boni. Quæ enim ibi Libertas, ubi nul-  
la honesti cura? quæ tranquillitas? ubi in-  
solens licentia? quomodo liber populus?  
qui exlex, & magis sine Domino, quam  
extra seruitium. Contineri necessum li-  
bertas.

bertatem, mediâ inter excessum, & defectum, viâ, alias, ut omnes excellentissimæ virtutes, corrupto semine in vitiis degenerant.

*Lijnius.* Per amplum olim Romani in Capitio libertatis erexerant atrium, iuxtra quod in Cella Iouis maximi XII. Tabularum Legum repositorium erat. Facili ex facto prudētis Populi coniectura, ita libertatē ac Leges mutua relatione conexa esse debere, ut libertas Legibus fulta, florentior evadat, & Leges præsidio Libertatis, vna eademq; voce cum omnibys loquerentur. Ita hæc expetitæ pulchritudinis virago parastatem Legem addictā habet, hæc ei diuino munere data est pedissequa, & perpetua assistrix iubendi, vetandiq; sapientia. Evidē si contineri suâ sponte, humanum genus intra fines naturalis modestiæ posset, tunc æquabili omnium innocentia, superuacua hæc Legum ligamina forent; sed cùm ex vitijs mortalium, optanda magis quam speranda hæc felicitas sit, per hanc cem-

commodè assistricem Legem , dum si-  
pte boni esse nolumus, saltem ne malis fie-  
ri liceret. Hoc ergo gemino bono tuo  
fruere Polonia, idq; prudenti moderatione  
in æquilibrio pone, vt nec libertatis abusus  
legibus præualeat, nec leges callida interpre-  
tatione, velut spongia liquore intincta,  
alterius eleuent stateram. Hoc si præ-  
stas, libertas tua non Romano more pere-  
grinabitur, sed perpetuum in Sarmatico so-  
lo, iam non hospitium , sed domicilium,  
habitura.

Sed quod nimius forte in verbis, at ie-  
junus in energia Aureæ libertatis , igno-  
scite Viri Poloni, deficit enim laudis copia  
plusquam laudanda afferentem. Parens  
eloquentiæ Græcia, libertatis olim suę iacta-  
bunda, non concepit literis adæquata tan-  
ti boni encomia, nisi detestabile Tyranni-  
dis ingenium , ac miserandos expressi po-  
puli gemitus prolixiore inuestiuā fastis tra-  
deret. Ita ferme est , vt bonum non co-  
gnoscatur, nisi amissu m, & opposita vitia,

C

lucidi-

lucidiūs claritatem virtutum demonstrant.  
Feliciores Poloni nos vltra Græcorum Fa-  
tum, qui cum hoc Arrabone nostro ad in-  
nidiam usque Orbis delitiamur. Tyrani-  
norum nomina æque ac effectus tyranni-  
dis ignorantes penitus, nisi Externi An-  
nales sua experimenta, nobis in exempla  
verterint. Sed ut olim quispiam Venerem  
laudans ab alio interpellatus fuit. Et quis  
eam vituperat. Ita quoq; præterquā quod  
mili in arcto dicendi vis ( eoq; forte in-  
glorius labor ) sua libertatis maiestas, ac  
salutaris usus, non eget præcone. Quorsum  
imporunæ laudes, & superflua commen-  
datio? Et quis eam vituperat? Appetunt  
mnes, colunt, venerantur. Hoc cælo da-  
tum humanæ societatis pignus, singulare  
Orbis Sarmatici Emblemma, veræ virtutis  
nidum, pupillam oculi nostri, primum vi-  
uens, ac ultimum / vtinam fatiscente mun-  
di machina ) moriens Poloniæ. Desisto  
itaq; & non amplius, per Capitolini atrij  
spatioſa diuerticula, aliena mirari: sed in  
peni-

penitiora Polonicæ Historiæ penetralia, cō-  
templari sua, populares meos inuitò. Vide-  
bunt cunas nācentis libertatis, & mirum  
educandi modum, vt quæ vagitus inter so-  
lita omnino, vbi ad iustam peruererit æta-  
tem, astricta fascijs, & infantiles pannos,  
sub prætexta tolerabit. Quod Calculo-  
rum more præstabō, qui ingentes summas  
contracto redigunt in summaria ære, ita  
ego compendium reifaciam, vt quisq; non  
legisse, sed attigisse, se credat.

Vetustissimis Polonorum, ignoto Re-  
gij nominis vocabulo. Duces ex virtute  
sumebantur, quorum Ductu & Auspicijs,  
non per infinitam, aut absolutam potesta-  
tem, sed ipso iubendi parendique vincu-  
lo, mutuo inter Status conueniebat. Prin-  
cipes, quantum armorum vi in hostes, co-  
mitate in socios, amore in suos; tantum au-  
toritate vbiq; valebant: si quis eminens ge-  
stis, consilio egregius, impauido pectore,  
rebus admouebatur, & quod præterat, ma-  
gnitudinem suam, Virtuti non Fortunæ,  
acceptam tulit. Inde Duees à ducendis a-

gminibus dicti, magis vim, quam Maiesta-  
tem continente appellatione. Animo pu-  
silanimes, corpore vitioso, artubus inuali-  
dis, tanquam naturâ ipsâ faciente delectū,  
segregabantur, etiam si Ducali è domo pro-  
dirent. In eum honoris apicem, per ma-  
las artes eniti, paucis tētatum, nemini pro-  
sperè cessit, si qui tales, ex osī primo popu-  
laribus ac deiecti, punitique suis exemplis  
docuerunt, male parta Imperia, non esse  
diurna. Ita Lechus Cracides ob Fratris  
necem, Leschus iunior, Vitiata acumina-  
tis spinis, decurrēdi stadij orbita, dolo ma-  
lo in seflos, Principatus turpiter amisere. Et  
Fraticidæ quidem Vāda Virago, non auer-  
santibus muliebre imperium Viris, substi-  
tuta fuit, Impostori Equiti, meliore fide  
decurrēs stadium, pedes Leschus fato mon-  
strante successit. Gmina simplicissimæ, &  
nullo sumo denigratæ Electionis Veterum  
Polonorum exempla, iam quod imbelli Se-  
xui, quam scelerato Viro, subesse mallent:  
iam quod aggressi ortu Iuueni, sed probo  
quam

quam herili Filio, sed doloso sceptrum detulerint. Post hos displicente Vnius imperio, ad Duodecim Viros ex Optimatibus Summa rerum translatam, sed nec his longa Dominatio, ab experimento edoctis Polonis, non aliter Imperandi constare rationem, quam si vni reddatur. **PIASTVS** rāndē <sup>Cornel.</sup>  
<sup>Tacitus.</sup> Crusuicensis carpentarius, modici cultor agelli, mirus suillæ dapis ac Hydromelis acremento mediperator, sed vnde viginti Principum ac Regum Poloniæ parens, Magnitudinis quanta, quata est in posteris auctor. (cui quidquid splendoris ad ostentationem, abundatiæ ad usum amplitudinis, ad gloriam, tanquam Protoplasto Polonia debet,) æquabilitate sua posteriorumq; memoriam PIASTÆ nominis ac desiderium, in nostra usque tempora reliquit. Vbi è sa- lebroso gemitatis errore, in Viam Christia- næ Veritatis digredi, pretium fuit, aboli- to Ducum Vocabulo, summi fastigij titu- lis usurpari cæptus, Diadema nomenque Regium, tribuente Imperatore Romano, assumentibus Polonis, magis ob largientis.

Augusti

Augusti benevolam mentem, quam ut nimis cuperent. Et quamuis cæde nefaria, **Sancti STANISLAI** Cracouieñ Præfulis steterit, quomodo idem Ius Regni abrogatur, expiato tamen Pastoricidio, in pristinā nominis amplitudinem, Coronata Polonis capita aslurgebant. Inde iterum à Præmilio Reges, & Casimirus Magnus Piastiadum è mascula stirpe ultimus, ampliatis Regni pomærijs, diues Regnum ac florēs reliquit. Evidē donec Piasti posteritas, in Polonia rerū potita est, simplici ut potè æuo, & quod nostrati seu contribuli suo pareremus, nullæ Regnandi præscribebantur Regulæ, vix aliquæ scriptæ Leges, adigebant ciues, ut parerent. Et quamuis, dominandi Cupido cunctis affectibus flagrantior sit, protū tamen Legum non indigere visa retinaculis; cum dominatio limitata cum modo, & auita Libertas gentis, cum curâ habebatur. Demum ubi Veneratione Sanguinis Piastæ, ad Ludouicum Vngarum Sororinum Casimiri, summa rerum translata fuit, Occæ-

pare

pere Maiores nostri, anxiè cauere Arrabonis suo, & postquam externis manibus tradebatur DEPOSITUM. A stricta Regnantis Iurejurando fides, Rem Integrā tradentium fore. Vladisslao deinde Jagelloni Lithuaniae, Diuæ Hedvigis Piaſtæ a Matre, connubium, vna & Regni possessio fuit, quo per se, ac Filios, diu & gloriosè præsidēte, tandem inclitæ stirpi, in Sigismūdo Augusto colophonem fata posuere, postquam Jagellonidum Sanguinis Nouissimè in Augusto desijt: simplicitas illa prisca, & amor recti, adiectitijs institutis & peregrina motorum norma, iam tum exolescere cœpit. Vulgabantur subdolæ Etrusci præceptoris suggestiones, tum Cortesanorum sub alio cœlo & sceptro exercitus genius, Legibus cohiberi dēbuit. Proinde quia ali us, mox sequentis ævi timebatur genius, & quæ temporum, an hominum labes est, præcipiti à libertate in feruitum gradu ruere, firmissimis legum vinculis astricta regnatis, parētumque conditio, ut sub Lege electus, non ascen-

scendat supra Leges, dum regnat. Eo inter  
præcipua Regni Arcano, Posse Polonus sub  
Regibus esse, non posse sine Legibus. Sigis-  
mundus certè Augustus ex ingenita boni-  
tate sua, reasumptis antecedentium Regū  
diplomatibus, expressius ac sincerius ca-  
uit Libertati. Imò auxit eandem, non ab-  
dicato modo Hæredis Titulo, sed aucto Li-  
thuaniae patrimonio per resignationem.  
*Juris Suitatis*, in Polonorum Vnionem tran-  
scripto. Qui Voles, Legum, Vnionisque  
contextum reuolue, inuenies prodigiösi  
Ameris in Subditum populum verè Regiā  
vocem se improlem quidem ( Rex in textu  
Legis loquitur) sed quantumvis DEO dan-  
te augeretur Successore, in tantum Diadema-  
tis capacem eum: in quantum per utriusque  
*Varsaei-*  
*ciius in gentis Libera Suffragiâ liceret.* Audite hæc  
*Declar.* Principes quorum iusta pro lege, Voluntas,  
A. 1563. pro ratione, & quibus non aliter Status  
sui ratio constat, nisi per calcatam credita-  
rum sibi à DEO gentium Libertatem Sigis-  
mundus Augustus Polonus Rex, Polonam  
non

non minuit libertatem, sed auget, non sup-  
primit, sed confirmat, non detrahit, sed ad-  
dit auitum Hæredium, Patriæ possessionis  
glebam, Lithuania suam manu mittit, ut  
faciat liberam. Certè sculpe in pectori-  
bus tuis perenni Augusti memoriam Li-  
thuania, studens tueri ea, quorum æsti-  
matio, nisi postquam amittitur, non per-  
inde noscitur. Post hunc ascitus Henricus  
Valesius, præcipiti Regifugio, nominis  
Gallici in hac gente inducens fastidium, de-  
inde Stephanus Bathoreus fortis & quæ ac  
prudens. Iam Sigismundus Tertius Sueco-  
rum è stirpe, ( ille coniugij, hic maternæ  
Lineæ intuitu, quæ vtraque ex lagellonio  
sanguine, assumptijs alias ) Solio Sarma-  
tico præsedere. Tum Vladislauis IV. Sigis-  
mundo natus, ac Ioannes Casimirus eodem,  
ille fatis, hic Sceptri abdicatione, Reges  
nostrí esse desierunt.

Hic mihi, Te inclyte Sueciæ Rex Ioan-  
nes Casimire ut alloqui liceat mitissima, na-  
turæ tuæ ratio, audentem facit. Et si quo

D modo

modo Te aliæ Gentis Regem dixerim ? qui  
Polonus fuisti , & vt essem summè cupie-  
mus. Sed quoniam aliter cœlo & Tibi vi-  
sum, non tamen abdica natalis Soli amore,  
& fidissimi populi Memoriam , seu te affi-  
nis Germania , seu adamatæ Galliæ oræ ha-  
bebūt, Poloniæ non obliuiscere, quēadmo-  
dum Tui illa vicissim obliuisci non potest.  
Etsi Polonum nomen obsequij , gloria erga  
Reges suos celebre; vehementer credo va-  
pulabit , donec dubitabitur , nos ne Te ? an  
tu nos abdicaueris ? Hæret miraculo atto-  
nitus orbis ; & in opia Veri factum credit,  
quod fieri posse , & factum aliquando fuis-  
se , pelli Reges suis exemplis didicit. Sed  
procul abest à liberâ gête talis macula, nul-  
lus Regum in Poloniâ cōdemnationis tabu-  
las, nullus executionem feralis sententiæ  
subiit. Non Cicutham Atheniensium, non  
Romanorum exilium propinam Regibus  
nostris. Retineant gentes Castellios , Raua-  
illacos, Fairfaxios , Cromuellios; Poloni li-  
berâ voce, non tacitis factionibus, supplici  
prece, non ferreo stylo, cum Maiestate Prin-

cipum nostrorum , non cum fortuna illorū  
loquimur. Sed vbi cunque terrarum nunc  
es Inclite Princeps , audis fortasse curiosas  
sciscitantium voces , hiccine Rex ? relicta  
fortunæ suæ Sede exit de Regno ? Hiccine in  
ter Decumanos Poloniæ fluctus , tot trophæis  
insumpta ætate glriosus , quod reliquum  
Vitæ , nulla certa sede ac loco transfiget ?  
quasi hæc nouissima Sanguinis Jagiellonici  
gutta , expirare alibi , nisi extra Poloniam  
non posset ? Sed videre mihi videor , pro  
pietate tua , ac realitate Princeps , Te exi-  
mentem Polonus Critico præcipitis famæ  
iudicio. Obsecramus vindica intemeratā  
gentis olim tuæ fidem. Possemus quidem  
dare in corruptos testes , dehortantem su-  
premium vniuersalis Ecclesiæ Antistitem ,  
reclamantem Senatum , deprecantes Re-  
gni Ministros , obnitentes effictim Terre-  
stres Nuncios . & flebili pœnè facundia egre-  
gium istum Christophorum Sarnowskium  
Łencyciensem Succamerarium , iam sup-  
plices preces , iam deterrentia exempla ad-

ferentem. Sed in pio proposito obstinatus  
Tu spōtē ac vltroneè curam nostri depone-  
re professus es: memento illi, Te accinctu-  
rus, vnde pendet æternitas. Et id quidem  
Diplomate Abdicatorio constare voluisti.  
Equidem cunctorum bonorum Ciuium  
horret anim⁹, quoties acerbi tecum diuor-  
tij recordamur; attamen recollecta mente,  
multas tibi grates Serenissime S. P. Q. Po-  
lonus multis nominib⁹, sed eo, vel maximē  
debet, quod libertatem nostram, tot moliti-  
onibus, & astutis factiosorum artibus la-  
befactatam, eo facto asserueris, ac in pri-  
stimum statum restitueris. Romanus olim  
Dominans de Republica reddenda, nimiū  
diù hæsitabundus egit. Quinque & Quin-  
quaginta Anni non suffecere Capulari seni,  
expediendam ad deliberationem, nec per-  
stittit in finem, nec magna meditamenta-  
exequitus est: qui non vt liberi Romani,  
sed ne serui essent, peroptabat. Aliter Tu Au-  
guste noster, nō Te anceps delibetatio disti-  
nuit, non Tui ipsius respectus remoratus est;  
quo-

quominus libertatē sub fide *Depositū* tibi creditam , non solum redderes ciuibus , sed eo ipso firmatam , quod Tu vltroneè reddebas , & quod nolentes non recipiebamus . Deus Telo ANNES CASIMIRE noster , sospitem seruet , ac demum pijs annuat votis , vt qui cælestis Regni intuitu , terrenum abdicas , & temporali videaris dignissimus , & illud post sera fata , merearis .

Si quis ergo hæc Magna Regnorum corpora , introrsum considerat , me hercule ad uertet , vt ortus , ac incrementa , ita periodos habere : ac velut vitam mortalium crescere , decrescereque . Considerando ætatem Poloniæ per sua momenta & gradus . Prima incunabula sub Lecho autore gentis , ad recepta Christianæ veritatis dogmata propè per Annos Trecentos viginti fuere , & hæc pueritia fuit . Adolescentiam à Boleslao Chabri vsu Regij diadematis floridam , Trecenti octuaginta constituunt , quorum interualllo prætextam deposituit , ac veniam ætatis nacta , si qui hostes Polono nomini insul-

insultarent, vigorem animi acrius intende-  
re cœpit. Iuuentus à Ludouico Vngaro  
ad Augustum, Annis Ducentis & duobus  
constat. Virilitatem ab Henrico Valeſio ex-  
traneorum primo incæptam, in hæc tem-  
pora continuans, Centenarium propè at-  
tigit. Viriles animos & indeflexam matu-  
ritatem, tot impertita bellis, agitata feditio-  
nibus, & coniurato circumfusæ Viciniæ o-  
dio pressa, tot documentis, quot victorijs,  
orbi demonstrauit.

Et iam Polonos, à primo exordio sub  
Ducibus, post sub Regibus obiter vidimus,  
nunc ferò postliminio, redeunte Piastæo no-  
mine ac regimine postquam vnuſ Regum,  
**Ciuibus Rempublicam reddidit**, quomo-  
do alteri tradita sit, oculos aduertamus. Io-  
annes Casimirus abdicat, Assumis Tu Cu-  
ram nostri **M I C H A E L** Serenissime, ille  
egregia fide facit, utinam Tu meliore Fato.  
Reddidere Te nobis propitia felici fidere A-  
stra, post tot ſæcula, rediuiuū Piastæo ex ci-  
nere, Phœnicem. Reddidit Deus quod de Te  
ab æ-

ab æterno fatus est, ut Rex Polonæ gentis,  
obscurum antiquitate Piaſti nomen glorio-  
ſe ſufcitarer. Sed quidego Te Ægyptiæ a-  
ui, cuius exiſtentia ex peruicacia affirman-  
tis ac credulitate legentium penderet, com-  
parem? Nisi ut Phœnicem, ita bonum  
Principem raritas commendet. Alia utar  
ſimilitudine, & Tibi magis conueniente.  
Traianum ego Te Poloniæ fidenter appella-  
bo, quem bonitatem inſignem, æquanimi-  
tatem commendatum, post portenta illa ac  
tenebriones Rei Romanæ fulcrum, probè  
fuſſe conſtat. Nec aspernare Parallelia,  
ſimilem Te quippe Optimo Principi tacita  
animorum imaginatione figuramus: &  
quam illo de Roma adoptato, plura nobis  
de Te Electo pollicemur. Tremulo ſeni illi,  
adoptanti Neruæ, Imperiū debuit; Tu post  
Deum Ciuibus Tuis debes, quibus maiori  
conſtitit; præconcepta de virtutibus tuis o-  
pinio, quam aliorum ſidera, propè elata  
nomina, ac cum ingentibus promiſſis Au-  
rei montes. Traianum ergo Te nobis Se-  
renis.

renissime Rex præsta, & vicissim quæ illi, à  
Romanis præstata, à Nobis Polonis expe-  
cta Amorem nobis debes, nos Tibi obse-  
Cicero quium, magis illud firmum ac solidius ha-  
biturus, si benevolentia paraueris. Nam  
metus, non diurni est magister Officij.  
Neue in hac assimilatione palpum facere  
me credas, dum optimo Imperatori simil-  
limum tecupiens, eius nomine appello, Ma-  
iestati Tuæ rationem facti reddo. Reuolu-  
tio annorum, si penitus introspicias, ma-  
gna in se arcana continere solet, ac rebus  
cunctis velut orbem quendam inesse cerni-  
mus, ut non solùm temporum cursus, sed  
etiam rerum momenta, Gyro quodam ver-  
tantur. Hinc annos climaëtericos pleriq;  
suspiciunt. Alij exactum sæculum quidpiā  
prosperitatis in se continere arbitrantur :  
quasi spatia æui, velut dimensis interstitijs  
prodigia virtutum, aut contra mundo præ-  
stare soleant. Si fidem adhibemus, à con-  
dita Roma, ad Traiani adoptionem secun-  
dum receptam Chronologiam, Octingen-  
titri-

ti triginta Annī intercedūt Quot intercessere , inter Piaſti Principatum , & Tuam Serenissime R EX electionem . Utinam vero conformem Te Traiano , ut moribus , ita norma imperandi , poſt tam grande reuoluti æui ſpatium agnoscamus . Utinam te illū eſſe , quem ſupra Octingentos Annos natu- ra parturijt , oſtendas . Protendimus vota acclamantes . Felicior Auguſto ſis , melior Traiano , alterum ex Te präſtare debes , al- terum , à fortuna potes .

Sed in iſtum ſummi fastigij apicem , quomodo euectus fueris , non indignam rem memoratu existimo , quæ ad exte- ros posterosque transmittatur . Primò mi- raculi vim obtinet , ſub discriminofum *In-* terregnū tempus , vndique nobis quietas res , animis & armis Vicinorum circumquaq; ſilentibus Turca minax , & poſt impertitā Offam , auarior Scytha , tum occaſiones ha- bere , quām expectare mallens rebellio : ve- lut Letargico ſopore indormientes amicos ex aſſe präſtāt . Ilaceſſita à Moſcho quies-

E

& quam-

& quam armata Polonia rapuerat Kijouia,  
inermi vltro restituebat. Nemo horum  
vt proverbum habet, *cadente queru ligna*  
*colligit.* Quotquot in Polonia Interregna,  
omnibꝫ quasi ex cōposito, ac velut ad spar-  
ſa missilia, illatis armis decurrisse hostes,  
sola orbitate Reipublicæ vtentes: vel non-  
dum absoletis, post Victoriōfissimi Vladis-  
lai IV, decessum clādibus, vbi velut in præ-  
dam gentibus destinati, sensimus eheu! Ve-  
lut ex generosiore vino acrius nasci acetū;  
ita post bellicosum Principem calamitosi-  
us prouenire Interregnum. Antequam Tu-  
Serenissime R E X eligereris, alia facies re-  
rum, nihil vspiam turbidum, placida om-  
nia, & in pace nobis otiali videbamus. Nō  
armatæ phalanges, non fluminum verticos  
vim externam distinuerunt, sed verendum  
regnaturi Principis nomen, & astriuentia fu-  
turam magnitudinem fata, quoniam tum  
ex antecedentibus colligere licebat, & au-  
gurari meliora. Ita sudum primæ lucis cre-  
pusculum, designat constantem diei sereni-  
tatem

tatem, ita ex primo exeuntis in herbam se-  
minis ortu, de futuræ messis fertilitate iu-  
dicat Agricola. Nec Poloni dispari modo,  
præsætia in futurorum Omen trahebamus:  
scientes, sperantesque mala tempora, me-  
lioribus pensari. Vacavit proinde omni  
metu solutis, ac securè domi relictis pigno-  
ribus, in arenam illam Varsauensem, vni-  
cuique properare, nec abesse quisquam ab  
Actu eligendi Regis sustinuit. Non circu-  
ieisti modo soli Nobilitas, ac abundantio-  
re pænu Proceres, sed maritimæ Balthici  
Maris oræ accolæ Prutheni, Pomerani, ac  
remoti Liuones, iam in ora illa rebelli V-  
kraïnæ ad sita recens in hæredijs hospitan-  
tes Exules. Iam longo Berezinæ tractu, sub  
rigidum Aquilonem semoti Lithuanorum  
vltimi; tum fæcundæ Podlachiorum stir-  
pes, omnes deniq; Poloni, quasi miraculo  
euocati confluxere, vt nimium desiderato  
spectaculo fruerentur. Numerum quidem  
inire haud facilè fuerit, Ducenta tamen  
conueniarum millia, si asseruero, haud in-

congruum reor veritati. Si quidem Patriæ  
caritas, Ordinū prouocauerat sollicitudi-  
nē, sollicitudo auxerat numerū, inde Nobil-  
itas cum suffragijs frequēs; Senatus quoq;  
pro amplitudine Ordinis sui, splendidis mi-  
nisterijs ac satellitio, Theatrum illud imple-  
uerant. Spectasti has cateruas, imò nume-  
rasti ex eminenti Vistulæ ripa Varsouia, ac  
Martij populi accursu referta, vt sub tāto  
onere vix suffictura gemebas, ita nunc feli-  
ci successu leuata, incredibili gaudio per-  
funderis. Tu quæ nuper Sueticos furores  
perpesia, ac Transistulano maximorum  
exercituum clāsico tremefacta: & quæ cru-  
delem genium Attilæ Hunni, noua Metem-  
psichosi, referentem Ragocium, probe me-  
mineras; non tamen magis, inuasa hostem,  
direpta egestatem, solo æquata extremam  
miseriam timuisti: quam ne post enormia  
externorum bellorum symptomata, recidi-  
uo malo Rēpublicam Civilis motus, in-  
uolueret, Quantum ergò diutina expecta-  
tio anxietatis, tantum felix conclusio gau-  
dij

dij Tibi adfert. Cæteris Vrbibus Sarma-  
tiæ beatior, quæ pignus hoc Vniuerlorum,  
sola creditum tenes.

Candido interim notanda lapillo dies  
illuxit, quo placita cœlo Decreta promul-  
gari destinatū fuit. Prodimus omnes in cā-  
pum, ac operi nos accingimus, gaudentes  
metuentesq; inter operis maiestatē, & euen-  
tus expectationem. Posteaquam frequētis-  
sima agmina Circum inierat. Linciati præ-  
sules, Ordinis præcellentia Venerandi, pri-  
ma in fronte assedere. Tum è Senatu quis-  
que, Equestriumq; contribules suos repe-  
bant. Audire erat laudantium hunc, aut  
reprobantium illum, susurros, modo collo-  
quentium murmur inquies, mox vastum  
silentium. In biuio hærebant omnes, inter  
Rhenano-Palatinæ Domus Vetera in Re-  
gnum merita, & celebratam Lotaringici  
Principis claritudiuē, diuisis studijs. Dum  
in illo distractarum mentium æstu, in ipso  
Circi meditullio, Vernantium Apum exa-  
men subitò confedit. Aspeximus non sine  
gestio-

*in Horo-  
logio.*

gestione animorum motu, sedula ac labo-  
riosâ animalcula, cætum nostrum complé-  
tia, credidimus dum loqui non poterant,  
vt & ex gremio sui Regem eligeremus, e-  
xemplo suo monstrare. Subibat mentem  
vetus Romanorum institutum, vt Oleum-  
& Cera apum industria parata, antePrinci-  
pes vrerentur. Vt æque se placidos ac mi-  
tes, velut Oléum, æque utiles Reipub. atq-  
in aliueari Apis, oportere meminissent. Ac-  
comodabamus ista futuro euentui, perpen-  
dentes, apibus Ciues, Matre earum, Regem,  
melle nostram designari Libertatem Quid  
enim aliud sibi vellent, eo loci inuolantes,  
vbi non Thymum, non ex flosculis areno-  
so passim campo mellificij copia erat. Sa-  
bulum vndique & protritarum frugum ar-  
re facta immature gramina. Sed parua ple-  
rumque magnorum sunt prænuncia. Istæ  
Apes in Platonis ore considentes, magnæ  
sapientiæ Viri indices fuere; cædem illæ in  
pilis militari bus victorias, in casis humili-  
bus vernates, magnam fortunam præsagie-  
bant.

bant. Quas auspiciū ferentes, & nos bono animo accepimus, præter ingenium tunc mittes ac tractabiles, vt velut nouam coloniam, ac humanas manus quærerent. tegumēto capitis, pro aliueari, reciperentur.

In Prouincias mox, seu Palatinatus, facilius promēdis suffragijs digredimur, Sacri Pneumatis implorandæ gratiæ, primo in exemplum Præsulibus, ac mox omnibus humili deuotionis affectu secutis. Breuis de hinc mora, & cœlestibus placitis, humana cedunt consilia. Illa frequentissima turba, ille non Climate modo, ac regionum situ, sed linguis, genere, habitu, religione denique differens Populus, uno ore loquitur, uno sensu pronuntiat, concordibus suffragijs nominat Regem, Illustrissimū MICHAEL EEM Wiśniowecij Ducem. Pauci in tanto numero, qui alia sentirent, reperti sunt cœpudebat & hos, dissentire à pluribus, & tacita quædam verecundia cohibebat amplius obniti, quæ Deus in voce multitudinis, per miraculum asserreret. Sed nōdum satis est,

*Viri Poloni, quod Regem cum eligitis, nisi  
& ipse Rex Vester esse non nolit, consensus  
vtriusq; partis requiritur, ut dum Vos præ-  
ficitis, ille præesse non abnua t, obsequium  
si defertis & subiectionem Regnaturum se  
profitearur. O modestiam nobis qui vidi-  
mus mitam! posteris vix credibilem! dum  
Regem non ex ingerentibus, sed ex subtra-  
hentibus se, non qui nomen inter Candida-  
tos profiteretur, sed qui subduceret, eligim⁹.  
Si quidem quanto nos studio acclamamus.*

**VIVAT REX MICHAEL**, tantum  
ille modesta renitentia obniti, perstirrit. In-  
hæret credo tenaciùs memoriæ cunctorum  
dies ille, occiduo iam Solis lumine defi-  
ciens, nihilominùs raræ moderationis ra-  
dijs corruscus. Quo Serenissimum no-  
strum, Voluntas Dei, per Vocem Populi, ad  
fusciendam Rempublicam vocat: ille,  
quod alij effictim petunt, non vult, quod  
ambiunt, recusat, quo nituntur, depreca-  
tur. Aberat medius fidius illa specie recu-  
santis tecta cupido. Approbauerem sinceram  
nolep

nolentis renitentiam, ad nominatum Duci  
**M I C H A E L I S** nomen, subito palore con-  
fusus vultus, anxij aspectus, ex eundi ten-  
tati modi, illæ denique rectissimæ indolis,  
indices lachrymæ, nusquam cogitasse, ne-  
dum cupisse, ostendebant. Itaque electus  
est, non importuno ambitu, aut recommé-  
dationibus externorum, non emptis popu-  
larium suffragijs, & prodiga corruptricis  
Mammonæ dispensatione, non obstetri-  
cante muliebri peruvacia, non prehensati-  
onibus, non pollicitis, non denique vlla hu-  
mana ope, sed dextera Altissimi operante,  
Liberi populi suffragijs; ita ad gubernacu-  
la Reipublicæ Polonæ admotus est, vt etiam  
cogi debuisset. Quantam vim possides vir-  
tus? quam belle tibi cum natura Magne-  
tis conuenit? ille quidem ferrum trahit, Tu  
studia, hominum allicis, eo usque vt attrac-  
tiua quadam potentia tot claustris, obsera-  
tam Regni Gazam aperiens, non solum, ut  
celebratum Boleslai ensem accingas lateri,  
sed etiam, vt vetustam ex Ottoniano dona-

tiuo Auri massam, capiti imponas. Mittant  
alij elaborata facundia Oratores, dulce ca-  
nentem fistulam, qui multa promittentes  
perorent, Comatuli, Forosuli, Tu sine le-  
gatis, sine paranymphis, fac age Virtus,  
ipsa Tibi patronus, atque Encomium, &  
ex se ipsa commendabilis. Ignoscite pre-  
cor clarissimi proci, date veniam affectui  
nostro competitores, scitis probè Potesta-  
tes Fato dari, vt ille olim, non plane Ethni-  
ca voce, declarauit.

Verùm nondum sufficit, quod multi  
acclamat, quod confusæ voces multitudi-  
nis exaudiuntur; interest Libertati Vniuer-  
sorum & singulorum consensus, quia plu-  
ralitas oppressionis mater est. Sistite cla-  
morem Quirites, nescio quid magnum Ma-  
gni Sacerdotis ore percunctamini. Conti-  
cescentibus ad Irænariharum moderatricis  
Virgæ imperium cunctis, ARCHIPRÆSVL,  
quanquam ægritudine debilis, ex lege agit,  
sublatâ, quantum poterat voce, quærens.  
VTRVM Vniuersorum consensus sit in Re-  
gem

gem eligendi Illustrissimum MICHAEL  
LEM Wiśniowecij Ducem. Acclama-  
tum extemplo, VIVAT, VIVAT, VIVAT MI-  
CHAEL REX Poloniæ, Viuat Millies,  
& Ultra. MICHAELI Regi Poloniæ Vi-  
tam & Fælicitatem. Iterū imperata quies,  
iterum ARCHIPRÆSVL geminat eadem, repe-  
titio proclammatæ, contradicit nemo: ne-  
mo placitum cœlo CAPVT, displicere sibi  
afferit; imò illi ipsi, quibus nondum pla-  
cere visus, victi miraculo, transeunt in par-  
tes, dignissimum Diademate censem, &  
vnde plures erāt omnes fuere. Tum demum  
Omnium voto, Vniuersorum suffragijs, sin-  
gulorum assensu ( solo ipso, si contradic-  
re sibiliceret, renitente ac deprecante ) Ore  
NICOLAI PRAŽMOWSKII ARCHIEPISCOPI Gne-  
žneñ, Primatis ac Primi Principis Poloniæ,  
pronuntiatur. MICHAEL Dei Gratia,  
REX Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniae,  
&c. &c. Omniumque Provinciarum, quæ  
Imperium Sarmatici Sceptri agnoscunt.  
Mox fausta quæq; precantium sublati cla-

mores, eo pertinaciore spiritu, quod ex se  
Regi, & praesenti, dicerentur. Ita salubri  
compendio factum est, ut Regem eligere-  
mus, & ad electum, per se vicem Legatorum  
subeentes. Ex aprico illo, in Capitolium  
Polonum, vix ad tanti hospitis introitum,  
pandi, nedum exornari valens, vectus est,  
collucentibus vndiq; facibus illustri nocte;  
maxime dum fausti explosis machinis i-  
gnes, adsita continenti velut incendio ar-  
dere, ostenderent. Bone Deus! quae facies  
exultatium? quae inenarrabilis cunctorum  
laetitia? Diceres naufragos fluctibus ere-  
ptos exultare, multis in stuporem defixis; &  
realissimi Actus visionem, tanquam fallaci  
sopore illusi, pro somnio accipientibus.  
Effusa Populi Urbani turba, nunc eo magis  
curiosa, dum funarium lumen, non suffi-  
ceret è longinquo aspicientibus, damna-  
bat noctem, & iniquas, auidis videndi,  
tenebras. Multi sibi irascebantur, quod  
in Urbe diuertentem, non ante cogni-  
tum haberent, quam Regem multi,  
quod.

quod cogniti gratiam promereri non  
occupassent, dolebant. Omnes tamen  
& promiscue lætabantur. Patres quod  
non amplius exoticis moribus im-  
buere necessum fore, grande solatium  
fœcunditatis suæ habituri, si Polono sub  
Rege, Polonis artibus, & realitate Soboles  
sua de Patria merererur. Matronæ, quod  
felici puerperio. Matres, non tristi externi  
Principis Imperio subditos, sed ex Contri-  
bulibus electo, Ciues parituræ essent. Ita  
patres, ita Matres, singuli & Vniuersi, quâ  
priuatim, quâ publicè, nemo expers gau-  
dij fuit. Nihil in summam præstare nobis  
prima causa, nihil concipere votis ad con-  
sumandam felicitatem poteramus, quâ  
Regemeum naëti, quem Priuatum, vltra  
Ciuem, dileximus. Memorabilis ergo  
Polonis, ac Auspicata, decima nona men-  
sis Iunij dies, prosperum inclitorum Mar-  
tyrum Geruasij & Protasij anniversarium.  
Hacce die olim. ante Quadringentos Sexa-  
ginta quatuor Annos, tutellarie orundem

Sau-

*Cromer.*

Sanctorum patrocinatione , ramis Polono-  
rum ad Zauichostum , attritæ æmulatricis  
Russiæ Vires , Duce gentis Romano , Viro  
acri , ac nusquam Polonis sincero , occübē-  
te. Intra erectionem altaris , Leschi nigri  
Principis Poloniæ gratitudo stetit , nunc  
templa & flamines , & celebrem perpetuo  
diei solemnitatem , munificis Patronis ad-  
dicet Polonia , amplius munus datura , quā-  
rum præstat recens , veteri beneficio. Olim  
inimica gens prælio concedit , nunc Deo dā-  
te , bello rebellis succumbet , aut si ipsa velit ,  
mitiorib⁹ sine ferro , ac igne medijs , sanabi-  
tur. Nunquam ut aduerto , sine cœlesti  
commendatione in Polonia Piaſti , Crusui-  
ciensis ille , ut perhibent Annales , diuos Io-  
annem & Paulum promotores in Solium  
habuit : modernus Ceruasium & Protasium ,  
vterque geminos , & Martyrij palma vni-  
tos , agnoscit. Benè est Poloni , quod  
cœlites quoque suffragijs suis nos iuuant ,  
Benè est , quod propter Orbitatem No-  
stram , ac ancipitem Interregni statum  
cun

cunctæ pœnè Vrbis Romanæ Basilicæ, sup-  
plicante Italia, complentur. Id pietas, O-  
ptimi Pontificis præstat, ut è supra Christianitatis specula, gregis commissi succur-  
rat periculis, & paterno affectu, filiorum  
prosperis, recreetur. Faxit, summe Sacer-  
dos, TER MAXIMVS, vt quam Tu afflicti po-  
pelli curam, eam personæ Tuæ gerat Om-  
nipotens. Addat Numen longæuitati Tuæ  
illos annos, quos à gente Polona, si bellis  
externis cōmitteretur, perire vetuisti. Tan-  
ti igitur boni compos Polonia facta, dum  
ipsa prosperitati suæ gratulatur, etiam Tibi  
Felix Potockij Subdapifer Regni, cuius in-  
deffessus labor in moderando Equestri Or-  
dine enituit, gratias dicit, habetq;. Perfe-  
cisti sanè, vt non nomine solùm, sed re ipsa  
FELIX habereris, dum tantæ molis imposi-  
tus negotio, peruigil titubantis nauigij pro-  
dromus, illud tandem non in irritum reci-  
dente labore, littori prosperrimè applicue-  
ris. Tibi verò non Equestris Status, ebo-  
re aut metallo fulgentes, non Votiuæ are-  
fcen-

Icētibus laureis dona , sed honoris insignia  
ac dignitatum Ornamenta , merito Tu o pa-  
ria , decerni volumus , ac vouemus.

*Proverb.* Hactenus cœlestia dona , nunc quia Sa-  
xo. cra pagina afferit. Beatam terram esse , cuius  
Rex nobilis est , haud pigebit transire ad ea ,  
quæ claritudo regnantis nostri , & Maiorū ,  
diffusa per Orbem Europeum , gloria. Licur-  
gus quidem in parænetico ad Thebanos al-  
loquio. Non vobis ( inquit ) ô Ciues nobi-  
litas , aut ab Hercule ductum genus prode-  
rit , nisi ita Vos gresseritis , vt quemadmodū  
ille egregius , ita & vos ab honesto non de-  
uij. Appositè & D. Ghrizostomus Trafo-  
ni cuidam. Malim , vt in te parentes , quam  
tu in parentibus , glorieris. Sed quemad-  
modum arma , non satis est , vt sint subtili a-  
cie , & mucrone , munimentum omne ru-  
pturo , sed vt terfa & rubigine non suqallen-  
tia , quia , vt acuminatum ferrum vulnera ,  
ita politum terrorem affert. Similiter in-  
ter sæculi bona persæpè ponitur , non ex se  
solum , sed ex maioribus præstantem esse ,  
Ergo

Ergo & Corybuthæum genus, Vetus Du-  
cum radix, recens Regum Surculus, è Prin-  
cipum Lithuaniae stirpe descendit. Fœcun-  
dum ab omni æuo illustrium Virorum se-  
minarium, & fortitudine commendatæ.  
Id verò quo pleniū constet, tabulam ge-  
nealogicam subiçio,

GIEDYMINS post Vitenem, seu <sup>an: Chr.</sup>  
Filius ipsius, ut Annales Lithuaniae, & <sup>1360.</sup>  
Strycouius multis rationibus probat, Ma-<sup>Guagn.</sup>  
gnus Dux Lithuaniae, Vir bello acer, ac For-  
tunatus, habet.

MONVIDUM.  
NARYMUNDUM.  
OLGIERDUM,  
IAWNUTAM.  
KIEYSZTUTUM.  
CORIATUM &  
LUBARTHUM.

Filios septem:

Filiam vnam ANNAM, Casimiro Regi Polo-  
niæ desponsatam, ac dotis loco, amicitiam  
inter cognatos Principes afferentem.

Post Giedyminum OLGIERDVS

G

suc-

succedit, qui ex Maria Turensium Ducis  
Filia, habet:

LAGIELLOREM Regē Pol.  
SKIRGIELLOREM M. D. L.  
SVIDRIGIELLOREM M. D. L.  
BORYSSUM citò mortuū.  
CORYBUTHUM Nou. Duc.  
VIGUNDUM in Prus. cæsū.  
CORRIGELLUM.  
NARYMVNDUM.  
LANGVINUM.  
LUBARTHUM.  
ANDREAM &  
BUTAVUM,

Filio s duodecē:

A Kieyſtutio altero Orgieldi Fratre, alter  
ramus processit, qui habuit Fili os sex, inter  
alios celebris notæ Bellatorem, Alexandrū  
seu Vitoldum.

Ex hoc Giedyminæ radice, ex hac  
translatitia è Lithuano solo planta, memo-  
randus Iagiełlonius ramus, varijs Europæ  
Thronis insertus floruit, ac germinauit: vel  
cum ex linea mascula Viros eligimus, vel  
cum

Cum Infantibus Poloniæ, seu magis propriè Filiabus Jagiellonijs maritos adoptamus. Vbi hæc adamata progenies esse desijt, ad quintogenitum Giedymini nepotem Corybuthum, ad Serenissimum M I-  
**CHAELEM** Regem Nostrum, ab eodem recta linea descendente, Sceptrum Sarmaticum redit. Qui progressus stirpis, & quali modo in Wiśniowieckium nomen, transcripta agnominatio, paucis suggero.  
Corybuthus Olgierdi filius, ad lauacrum Baptismi Demetrius dictus, in illustria aui-  
tarum virtutuū, præsertim bellica facinora assurgens, Jagielloni Regi fratri charus; ac morigerus, donecybi summæ rerum in Lithuania Danielem Vitoldum præfici videt; generosa vir indole, germanum se postponi indignatus est, non Regi ac Duci tanquam refragus, sed germano non redamati. Inde cognatorum armorum collisio, & superiore non viribus modo, sed fauore Jagiellonis Vitoldo, intra Nouogrodeci Seueriæ, impertitam certis Terminis ditionē

*Bielška*

nactus, ingentes illos spiritus continuuit,  
mansitque fratribus concors, ac semper æ-  
stimatus. Interea cis Tanaim, inter Solæ  
& Psolæ confluentes, cum Ædiga, famosi  
Scytharum Imperatoris Tamerlanis Exer-  
cituum Polemarcho configente Vitoldo, à  
barbarorum multitudine superato, præci-  
pitifuga alijs saluti consilientibus, Leoni-  
ni pectoris Corybuthus adscitis in mortis e-  
gregiæ sodalicium, Andrea & Butauo ger-  
manis Melszynskio quoque Cracouense  
Palatino, ac nouem alijs Russiæ Ducibus,  
pugnans cedere, quam perniciitate equi sal-  
uari elegit. Insigne relinquens exemplum,  
inglorium esse militem retrogradum, &  
vbi victoriam Fata negant, satius arenam  
sanguine cruentandam. Nec satis erat de-  
uotum Patriæ in Barbarico conflictu, pro-  
fundisse sanguinem, nisi accedendo in po-  
steris, propagandæ fidei zelo, ad Cataphra-  
ctum Equitem, iam tum commune Ducalis  
familiæ Stemma, Lunam cruci substratam  
adderet, ut præceptum, Gloriâ Crucis præ-  
cuncti

cunctis Sublunaribus supra esse , vt præ sagium, Barbaricæ Lunæ salutare Redempti-  
onis nostræ Trophæum, à quopiam ex san-  
guine suo , superponendum. Patrios refe-  
rens mores Sigismundus Corybuthus, ante  
ætatem miles , animos à clade parentis non  
posuit, sed sumpsis; contra Crucigeros cum  
omni penè Germaniarum robore, Nomi ni  
Polono insultantes , Copias Patrui Iagiel-  
lonis suppleuit: sub tali magistro rudimen-  
tis militiæ imitaturus , & cum eo hoste pri-  
ma armorum experimenta faciens , qui <sup>Crome.</sup>  
cruentius caderet , proprio ferro Polonos  
in suam armavit cædem. Sed excellēs quæ-  
que natura elementaris, velut ignis, summa  
petit , & chimicorum dogma est. Fortem  
mineralium spirituum virtutem euapora-  
re, nisi obtundas. Ita excelsas mentes non  
deside otio , aut crepundijs detinueris :  
quin in hoc Theatro Orbis Aiaces se & ce-  
lebri gloria Alexandris, quam Sardanapa-  
lum , vel enerues Gynæcei delicijs Sybari-  
tas , videri malint. Cupiditas quippè glo-  
riæ

riæ omnibus à natura insita est. Heroum  
filijs peculiariter, in quorum precordijs, ve-  
luti in silice reconditus ignis, si ad igniarium  
perennis famæ concutias, promptissimè  
scintillat. Similiter Corybuthus stimulis,  
perennaturæ gloriæ actus, ac Vocantibus  
in Regnum Bohemis, contineri Patrio sub  
axe non potuit, quin onerandum magis pe-  
riculis, quam diadema ornandum caput,  
offerret. Et quamvis agnosceret Praga Ca-  
put gentis dominum, ea tamen meta gene-  
rosi conatus fuit, priùs coronam mereri,  
quam habere. Et meritus equidem de Gé-  
te amica egregiè, ac super æmulantes eue-  
ctus, partis frui poterat, nisi dum ab Orbe  
Christiano alienatorum ab Ecclesia, se facti-  
onis Ducem reputari aduertit, insinuata er-  
roneis multò suala palinodia, Regnum &  
causam Heterodoxorum abdicauit, quia  
Deum noluit. In Patriam redux, dum Sui-  
drigieloni Patruo, intestinis motibus, in-  
nutrito, contra Sigismundum Lithuanizæ  
Ducem opitulatur, imperfecto Theutonico-  
rum

rum Magistro, ac interne ciē cæsis agminibus suis, enorimite saucius, ex vulneribus obit. Hic à Iacobo Kobylińskio Polono Duce quæ situs. Ecce pertinaciter pugnans? non potius recessu, cum posset, sibi consuluisse? Generosa, id est Corybuthæa voce, respondit. Ducali sanguine cretum se, & pro Patrio pugnasse, super hæc Polonicis bellis instructum, magnis exemplis didicisse, decoram mortem, infami vita potiorem. Ab hoc ergo non degener Animi Dasco, seu Daniel, ex Daniele egregia prole fæcundatus, Basilius generoso ausu in Vasta Bessarabiæ Campestria inuolabat, Colonias deducens eo iure, ut quod nullius erat, occupantis fieret. Sed non usque quaque pacifica noua possessori ditio, serperastris Scythicis Isthmum illum Euxini, & Mæotidis paludis eluctatis, ac incolatam vberrimi pastus armis vendicantibus. Pinguescat aliorum gleba, creberrimis vomerum sulcis subacta, Corybuthæa tellus, non germinaret, nisi sanguine priùs possidenti-

um

um rigaretur. Dehinc hostibus campo pul-  
sis, castella, eum in usum erecta, non igno-  
bile, in hunc diem propugnaculum Bracla-  
via, Tartaricæ frænum audaciæ, ac velut  
specula quædam in Hyppanis ripa, aduer-  
sus prædatorias turrias. Zbarazium item,  
ac Wisniowecium, non illaudata vetere æ-  
uo munimina: Cremenecium quoque &  
Winniciâ, aliæque per interualla ad limitē  
excitatæ coloniæ, quod erectæ, quod fun-  
datæ, Corybuthæorum Ducum, munus  
ac beneficium agnoscent. Iam verò Trans-  
Borystheniana ora, circūferentiale Wisnio-  
weciæ domus Hæredium, non exemplo in  
manus posidentium deuenisse constat, non  
veteribus, iniquo pretio, exactis dominis,  
sed armis acquisitum ab hoste ius, habita-  
biles inductis cultoribus redditi agri, cir-  
cumducta sepimentis oppida; & postquam  
sua limitaneis securitas constabat, eo obie-  
ctu citeriora Russiæ protegebantur. Inde  
respirauit præteritis populationibus attrita  
Russia, sub hoc propugnantium Corybu-

tho-

thorum clypeo, redditus sacris honos, cul-  
tus agris, securitas Roxolanis, formido ho-  
stibus. Ita multiplex ille Scytharum abi-  
geatus cohibitus est, & *Stitum* immiti te san-  
guinis Christiani profluuium.

Ita antesignani in hostem, ac periculis  
expositi Corybuthi, quo magis prodigè  
sanguinem pro Polonia fundunt, eo magis  
multiplicatus sanguis in filijs timentium.  
Deum, ac propagata ex lumbis posteritas.  
Proinde aucta stirpe generis, pro Familia  
Herciscundæ rationibus, diuersa assumunt,  
retento patronymico, cognomina. Iam à  
recenti obsidione nobilitato Zbarasio, Zba-  
raskij. Iam à memorando inter neciuas Scy-  
thici exercitus clade Wisniouecio, WISNO-  
WECKIJ. cumularunt egregijs meritis gesta  
maiorum, Virtutes Patrias iure quodam  
hæreditario possidentes, vel exsuggentes.  
Inde nemo è Domo ut mediocris, magni  
omnes, vel maximis pares. Dum alij ab o-  
pibus fastu tument, isti à Virtute animosi.  
Erant qui certarent affluentia rerum, certè  
Bellis

H

bellis

bellica gloria certare ausus est nemo. Ex hoc ergo Corybuthæo stipite, multifariam diuisi rami, potissimè in Zbaraskios, ac Wi-snioweckios. Et illi quidem pace egregij, isti quasi sorte accepta, bello acres, Zbaraskios, dum prudenter loquuntur, Palladis, Wi-sniowecios dum sanguine scribunt, Martis pullos diceres.

Compertum est, aues quæ præda viuunt, prima volantium pullorum tyrocinia matrem instruere, quæ perterrefactas alites impellens, nouitios venatores in spolia erudit. Idem ferme Wiśniowecijs vſu receptum. Non satis est genuisse, nisi sub oculis parentis Aeneæ parui Iuli in palestra Martis initiantur, nisi fratrum filij, (velut sub Patrui Pauli tutella immaturus nepos Africanus) sub armis æstates, sub pellibus hyemes, discerent transigēdas. Ita Michael Wiśnioweckius cum quatuor filiis Constantino Ostrogio Duce, Campos Hæredij sui Wiśniowecij sanguine Barbarico cruentauit. Ita Adamus, Moschorū stra-  
*Bielški.* ges

ges pro Socero Demetrio Imperatore gentis pugnans, Filiastrum Janusium instituit. Ita nostra memoria, Hieremias Demetrium nepotem, in illa plusquam Sagunti, aut Ostendana ad Zbarazium suum, Exercitus Regni obsidione, prælijs, eruptionibus, periculis, fami, vigilijs, immaturum adhuc, dum Ephebum crudit, ut exercitatiorem Poloniæ Ducem relinqueret. Ita demum amplitudo sua Wisnioweckij s constitit, ut velut Aquilæ directo in Solem intuitu, nec caligante, prolijs naturam probant. Ita illi parietinis includi, generosa armorum voluptate non delectari, sanguine Barbarorū non intincta tella ferre, non modò non Corybuthæum putant, sed dedecus. Quam apposite Hieremias Patruus Te Demetri Dux, in illis arctissimæ obsidionis angustiis alloqui poterat, dū iam præceptis &hortatu, iam exemplis & facto instruebaris.

*Disce Neps Virtutem ex me, verūq; labore, Fortunam ex alijs.*

Hæc peculiaria militiæ rudimenta Wi-  
H ij snio-

Sniōwecijs semper fuēre, ac regula vitæ: hinc diffluxit in prolem, Heroicis imitamentis armorum non segnis cura, & sanguine procurata amplitudo. Exinde vocabulum Ducum, non velut inanem Titulum, sed genuinam à ducendis agminibus appellationem, retinuere. Nec ideò Magni quia Duces, sed ideò Duces, quia Magni. Rerum amplitudinem annalium monumēta asserunt, & vernaculi scriptores de his affirmant omnes, cum solummodo tradant de alijs. Verūm mensura claritudinis Wisnioweciz, non prosperis solum, & ad mentem fluentibus votis, sed aduersis etiā, velut in fumo ignis, clarescit; sufficit in Demetrio tragicum documentum, Heroica Vir indole, Præfectus à Sigi smundo Rege Circassijs, flagellum Scytharum extitit, formidabili celeritate in campestria involans, ac tanto metu consternans Scythas, ut vagientium puerorum eiulatus repremerent Matres, solo aduentantis Demetrij nomine. Sat gloriæ partum erat, & amplior  
mer-

merces sperabatur Virtuti , qua excubante  
non nocebant Vultures Regniorum. Male-  
fida interim , & Dominorum mutatione  
gaudēs Dacia , Despotis Reguli sui pertæ-  
sa, ad Thōsam studia transtulerat: sed & hu-  
ius dum piget crudelitate exosi , Demetriū  
Wiśniowecium, cuius nomen Scythicis vi-  
ctorijs , in illa gente celebre erat , Satrapis  
Valachiae accersere placuit. Non erat igna-  
rus ille, quam periculosę plenum opus aleæ  
sūbibat. Annuit tamen enixè potentium  
voto , sed tum demum , postquam exauto-  
rato Tomsa , fidem sibi astrinxerant iura-  
mento. Intrat proinde Valachiam ut suam,  
non pro periculi mole accinctus milite. Pro-  
greditur animosè, sed nimis fidenter, qui va-  
nus bellicofo viro nāuus erat, intet magnas  
virtutes, oriētē Fortunā animosè accipit ad  
vltimum magnitudinē eius non cœpit. Lu-  
bricæ fidei gens deserit , partes potentiorē  
secuta, nudat transfugijs Demetrianam a-  
ciem, sat perse exilem. Sed non se deserit  
Demetrius, viribus impar, animo superior,  
pugnat

pugnat fortissime , ac cum hoste confli-  
ctu prouocans Fatum, simul cum auxiliari-  
bus Polonis capit. Et istos quidem reci-  
sis naribus mutilatos , dimittit Tomsa, De-  
metrium cum socijs aliquot Bizantino  
Tyranno muneri mittit , ut quæ gesserit, ex  
captiui genio, æstimarentur. Procera sta-  
tura Viri, & validis artubus torosum corp<sup>s</sup>,  
Minace insuper vultu, Martios ignes scintil-  
lantes oculi , admirationi primum, mox  
occultæ formidini fuere metuentibus Bar-  
baris , ne clapsa indagine fera irritata no-  
centiūs sœuiret. Ergo ubi abnegandam ad  
fidē, nihil promissa nihil minæ, mortis de-  
niique terriculamenta valuere, glorioiore  
dignum fine Heroem, vnco affigunt. Cer-  
tè non animus Martyrio , non martyrium  
animo defuerat. In societatem acerbi, fi-  
nis, Piaſeckius erat , sed hic enormi crū-  
ciatu mox extinctus, Wiſnijowecius, stu-  
pente Bizantio, triduo pendulus , non pal-  
lore, non gemitibus , aut aliquibus impati-  
entiæ signis, dolorem prodidit, sed quasi su-  
pra

pra homiuem impassibilis, ceu rupes quæ-  
dam, cui sensus doloris nullus, Viuificum  
Saluatoris I e s u Christi nomen inclamans,  
improperijs Pseudoprophetam Machome-  
tem incessens, mori non poterat, nisi nouus  
martyr, sagittis vnde cunq; configeretur.  
Ingentes Bragadini Cyprij præsidis laudes,  
quod detracta pelle, ac rufus superinducta  
bidui spatium, constanti firmitudine egerit,  
á Solimmano excoriatus. Par Corybuthi  
ad miraculum patientia, magni meriti utri-  
usque pro Patria Fatum. Applica qui vis  
vrentis dexteram Scæuola exemplum, spo-  
liatos palpebris oculos Rutilij, immite exi-  
lium Reguli, aliorumque sœvitia hostium  
nobilitatas mortes, in quibus Stoicæ &  
quanimitatis stuporem, extulerunt Vete-  
res; non iniqua comparatione se prodet ex-  
cellentia facti patientium. Sed itanè He-  
roibus immorabor singulis, ut præteream  
omnes, & ex tramite breuitatis, in viam  
plenioris Historiæ me dabo? Certè non, sed  
sicut illi, qui excellentes picturas oculis ob-  
iectas,

iectas , et si alio directo itinere , non præte-  
reūt , quin inspiciant , ita et si contrahere ve-  
la maxime coner , obvia tamen , & ipsa se  
ingerentia Corybuthææ Virtutis exempla ,  
non prætemitti iubent .

In eodem genere laudis ponendum , eo  
visque adamatam Poloniam , & tanti æsti-  
matam gentis libertate , ut Regum affines ,  
Principes sanguinis , prærogatiua generis ,  
qua Duces leposita , æqualitatem Iuris ac  
pænæ non subterfugientes , se Iuri Terre-  
stri , quod omnes uno Ordine respicit , sub  
iecerint . Si quidem in confiendo vnio  
nis Lithuanicæ negotio , ardui magna pars

*In vno-  
pe Lash.* operis erat , Ducale Genus , quod velut su-  
per æqualitatem posatum , obstitit paritati ,  
donec ex generis fastigio descendentes , in  
gradu nobilitatis consisterent , eamq; con-  
trouersiam ob Bonum Pacis , moderatione  
sua complanarent En Vobis Titulati , &  
longa verborum congere tumentes , qui-  
bus fumus appellationum , sæpè magni  
constat , eotantum usui , ut velut parietaria .

Her.

Herbæ, non meritis aut virtutum claritudine, sed alphabetarijs duntaxat notis posteris tradamini. In æqualitate Wiśnioweciij ijdem sunt, qui ante fuere, nec Duces esse desinunt, gradum paritatis subeuntes. Eo intuitu insident Senatorias currules, proficiuntur Exercitibus, adhibentur consilijs, & partem Regni faciunt, cum pars illius, & è corpore sint.

Verum enim verò, quam dictum illud è Tripode profectum; Paruae curae loquuntur, ingentes stupent. Facilius ignotis verba reperias, nota admirationem requirūt. Fateor equidem, ut in ardua montium iuga enitentibus, ducuntur vehementi anhelitu respiria. Ego quoque planiora emensus, dum in hunc Excellentissimarum Qualitatum verticem, incliti Hieremiæ Wiśnioweciij enitor, anhelus ac oneri impar, fatisco. Quibus coloribus? quo penicillo Optimi Ciuis Idæam adumbrabo? Hinc assentari mortuo quid opus, illinc Criticorum iudicia reformido. Tuam ipsius præcunctis

Serenissime REX reuereor Censuram.  
Quomodo offeram rudis artifex Patrem Fi-  
lio , Archetypo suo dissimilem prorsus ta-  
bellam. Pictores quidem, quos artis licen-  
tia supra Leges veri posuit, dum vetustate  
ignotas antiquorum pingūt imagines, qua-  
li quali oris habitu dederint aspicimus, nec  
ultra curiosi, si notos vultus , & impressas  
menti nostræ Amicorum effigies, in Ectypa  
reducāt. Censuramus scrupulose iam dissi-  
milia faciei lineamenta, iam imparem sta-  
turæ simmetriam , non ad viuum deniq; ex-  
pressam corporis Idæam culpantes. Quid  
sperem ego ? quid non metuam ? Olim non  
alio pictori, nisi Apelli, nulli statuari, nisi  
Lisippo, insignes Magni Macedonis vultus,  
penicillo cælotie figurādi, permittebantur;  
ne proletarius artifex , laudatam victoris  
Orbis speciem, imperfectione sua deueni-  
staret. Ego verò adeò projectè audax ut  
moliar comprehendere Magni Hieremiæ  
Terrarum Russiæ Palatini insignes virtutes,  
quas etiam dum miratur Polonia ; Loquat  
tamen

tamen odiose de nemine , iactabunde nec  
de illo ipso , non ut rediuiuos vultus & spi-  
rantia ora , stylo ad amussim effingere co-  
ner , sed capita tantum , & Actiuas Virtutes  
connotans , idque ex statuaria lege , opus  
exhibeo informe ac impolitum , perfectio-  
ribus ingenij ad regulam artis dedolandū.  
Hieremias , Michaele Wifniowecio , ac Re-  
gina Mohilanka Daciæ Ducissa , natus , vt  
primum per ætatem licuit , excelsæ indolis  
vigorem , ad Martia opera conuertit . In hac  
Palæstra Nouitius exercitatos , Tyro Vete-  
ranos , fortitudine ac felicitate anteijt , ista ,  
paucos pares habens , illa , omnes superauit .  
Arcebat illum ab illeccbris otij , præter insi-  
tam quandam ad arma inclinationem , am-  
plum quidem , sed in ipso Moschouiticæ di-  
tionis orificio situm Patrimonium . Iam  
proxima Scythurum vicinitas , & nusquam  
quiescentia arma , torporem excussere . Ex-  
perimenta armorum plura dederat , præci-  
puum ad Ochmatouiam cum Scythicis a-  
gminibus fuit , tam sæpiuscule erumpentia

oppressa, iam tūm attolentis caput Cosa-  
corum rebellionis molimina. Sed non trā-  
quillo mari peritiam naucleri cognoueris, e-  
gregios viros actiuitas ostendit. Obitu  
Vladislai Quarti Regis inuicti, concidit si-  
mul tranquillitas Regni, ut pullam vescem,  
qua tunc Vniuersi induti eramus, simul Fa-  
tum Regis optimi, simul calamitati nostræ  
deberemus. Motis rebus, inuoluit bellum  
pacem, serenum tempestas, tranquilitatem  
motus, extollit multiceps rebellionis Hy-  
dra caput, intercepti exercit⁹, sublatæ legi-  
ones, captæ vrbes, passim Hæritidia, & pro-  
miscuæ cædes. Quis nō ad primū fortuna-  
ti sceleris successum inhorruit? Cui vberri-  
mæ oræ continentí incendio fumantis, re-  
stinguendi cura? Enormia vulnera refri-  
care, horret animus, verū meminisse pe-  
riculorum iuuat, subit quidem ignauiae  
pudor, sed necessaria virtutis commemo-  
ratio. Olim re conclamata, ad Cannas  
transfugium agitantem iuuentutem Ro-  
manam, Scipio in iusiurandum non des-  
ren-

tendæ Patriæ adegit, solus perditas spes re-  
fouens fatali omnium formidine. Eheu? &  
Cannarum Polonia recordatur, & Genero-  
fi Scipionis in Hieremia Palatino meminit,  
postquam ex illa Trans-borysteniana inda-  
gine ferro eluctatus, de patria merèdi pri-  
mo sua sponte alacer, mox Ordinum iussu,  
delata supremâ armorum Præfectura, in-  
hibuit seruilis ferociæ rabiem, ne lethalis  
cancer, ultra serperet. Egit, confixit, vicit  
hostem, sed non inuidiam. Restituit Rem,  
quam aliena deinceps æmulatio, pessum de-  
dit. Acceptæ militi fuerunt imperatoriæ  
Virtutes, sed ingrata temporibus eminen-  
tia viri, cum statorem eum Iouem, probro-  
sa aliorum desidia, legiones celebrarent. Ita-  
que substituto alio armorum Regimine de-  
redit, tanta modestia magistratu illo abi-  
ens, quanta fortitudine Imperatorem ei-  
git. Cordolum, cuiquam alio esset, ea dis-  
gratia tractari, ast Hieremias in se æque, ac  
hostem fortis, infra Patriæ amorem sui æ-  
stimationem habuit, sciens tantum office-

re malignitatem virtutis, quantum nebulam  
solii. Hic ictus ab inuidia, qui sequitur à  
fortuna fuit. Amplissima ditio ab hoste in-  
teruersa erat, nulli, rebellibus paſſim colo-  
nijs, redditus Oppida, Villas, agros infedit  
hostis, eo infenſor, quia metuebat. Si quid  
prætiosioris ſupelleſtilis ex naufragio reli-  
quum, in milites erogatum fuit. Ita ex flo-  
rentiſimo Cive fortunis diminutus, auita  
poſſeſſione extorris, inter tamen fortunæ  
angustias, retinens animi precaria Sede a-  
gehs, nullo ſuppetente cenu, non defert  
ſtationem, bis mille & amplius militum alit,  
ancet hostem egregie, Prudens Senator, si-  
ne fastu, Ciuis, ſine fuco, miles, ſine o-  
ſtentatione. Inter alias animi dotes ine-  
rat autoritas ſimul & comitas, illa Venera-  
bilis, hæc amabilis, vtræq; ſororia caritate  
iunctæ, ad mouendum & trahendum. Co-  
mitas præcipue enituit, qua in omnium pe-  
ctora ſe inſinuans, & gratia efficiens, quod  
non imperio aliis cogat, quam ille auſtera  
quadam benignitate moderatus eſt, ut dili-  
gi ma-

gi magis, quam reveri meruerit. Nec errauerim affirmans, neminem æuo nostro fuisse, quem Polonia magis reuerita sit, minus verita, genuino in illum propendes affectu, <sup>Tacita</sup> <sup>Pliam.</sup> <sup>ex</sup> *veneracionis pariter & amoris. Proinde non animo solum, sed et contubernio eius exulabat superbia, cōmune Aularum vitium, cum ille omnibus paratus & acclinis, mansueto vultu, & tractabili ingenio, obuios excepteret. Integritatem animi ac continen-*

*tiam, quas proterius saeculi genius asceteris resignauit, referre non mei, instituti. Acta tamen vita non licenter eorum more, qui militiam, in lasciviam vertunt, sed ad regulam honesti & concessæ voluptatis. Æquanimitas Magna in Magno fuit, imò, hæc sola ex Magno, maximum fecit, nullo adversus æmulos, odij indicio, nulla contencione, aut desiderio vñscendi. Et superbia quidem felicium morbus est, erectos animos Deus per infortunia experitur. Ad hunc ætrumnarum, velut Lidiū lapidem affricat,*

ex aduersis secunda, noscantur. Ita chalybe  
repercussus silex scintillas ignis emittit, qui  
idem Xylino inuolutus, nihil præstaret e-  
iusmodi. Attamen, ut afflictione non deij-  
ci, magnæ constantiæ est: ita non affici, vix  
humanum. Sed publica calamitas, priuati  
doloris sensum aliquatenus suppresserat,  
& repetundarum ratio, sola superfuit, si  
bello transigeretur. Effuderant se in intimi-  
ora Poloniae Ducenta Millia armatæ ple-  
bis Cosacorum, Centena Scytharum, in  
exterminium, in prædam, auara spe desti-  
nabamur. Innumeris illis myriadibus obi-  
cem posituri, sex millia Virum in occur-  
sum eunt. Non unus credo Andreæ Firley  
Castellani Belzensis, penes quem tum armo-  
rum summa, temeritatem ex euentu feli-  
cem incusauit, omnes florem illum militiæ,  
destinatam morti victimam trahere affir-  
mabant. Iuit tamen intrepidus, sed priùs  
in commilitum memorabilis actus ascito  
Hieremia, tatum post Deum experto Achil-  
lis Polonicipeatori fidens, vt etiam præfe-  
ctura

atura militari eidem vltro decederet: Nisi  
modestus ille, ac paratus obsequi, recusaret mu-  
nus, Iudicium Reipublicæ sequi vrgens. Ad  
Zbarazium ergo tantilla manus, circumfesa  
sa est, Zbarasium siquidē aliud virtutis Po-  
næ explicandæ Theatrum, Thormopyla-  
rum decus, exemplis fortitudinis adæquās.  
Memorabile Sagunti obsidium, & quæ alia,  
velut virtutum prodigia recens sæculum  
miratur Brædæ, Ostendæ, Brisacij, superat  
Zbarazium. Actum erat de Exercitu Po-  
lono, & nucleus ille fortium non ferro ma-  
gis, quam lassitudine, & fame, emorieba-  
tur. Quis fractas insomnio excitauit men-  
tes? Quis fame enectos reficit? Quis lassas  
continua pugna Legiones erigit? Certè  
Hieremias particeps, imò antesignanus in  
periculo. Quoties Nicolæ Ostrorogæ, ac  
Tu Stanislæ Landzkoroniskij, cauti bellato-  
res, deprecabamini feroorem, obnitentes  
aduersus ruentis impetum, ne se, in quo  
summa salutis erat, gregario immisceret.  
discrimini. Attamen primus ille in eru-

K

ptio-

ptionibus, vltimus in recessu. Ille vigilias  
pernox etiam, dum validissimis excubitorum, somnus obrepit, vel nolentibus; circumiens valla, naturam, ut vincerent somno excusso, hortatur ipse, ea vi erecti, ac solam gloriam cogitantis animi tantis per aduersa corporis postponens. Proderat vbi que magnitudo exempli, resoluto paſsim milite, cui operam suam maior alijs, & pluribus districtus, exæquaret. Verum in expugnabilia armis pectora, expugnabat acre telum necessitas. Alimenti penuria in ualuerat, in castris dira fames, equorum canosiores partes fumo induratae, ac canes iam in esum erant; sed instruit mensas famelicis conuius Wisnioweckius, reficit in edia enectos, distribuens manipulatum nouissimos in usus reseruata edulia. Vbi ista multiplex commessatio absumpsit, non subit etiam equinæ fastidium, abiectissimas dapes exemplo Ducis condiente. Ea obstinata patientia distentus hostis, donec impiger suorum vindex Serenissimus Ioannes

Ca-

Casimirus Rex, in præcipitio constitutis re-  
bus, succurreret. Certè non sine miracu-  
lo & omni futuræ magnitudinis, quod  
subiungo, fuit. Obsessi, æque ac victualiū  
defectu, aquæ inopia laborabant. Aquatio  
quidem sufficiens ex subiecto Castris sta-  
gno, habebatur: sed ex immobili Lacus na-  
tura, & hostilium cadauerum tabo (nam e-  
tiam hic deprehensos oppresserunt Nostrí  
plurimos) Veternum contrahentibus vn-  
dis, insalubris erat, quia verminosa. Non  
vnus Samson, in oculi Philistæorum, e-  
moriebatur arentissima siti, & abominabi-  
lis post raucida obsonia potus, enecabat  
refectos. Itaque alij roridas noctes, alij se-  
lices imbribus dies, obseruabant. Cùm  
idem ille Deus, qui de mādibula Asini pro-  
duxit torrentem aquæ, etiam tum refouit  
anhela Zbarascensium obfessorum præcor-  
dia. Aquæ illæ, in subiecto iam hostium sta-  
gno, iam sanguine Polono decolores, lethæ-  
lem Hydropisim caufabant subuenit, Hie-  
remias prudenti Stratagēmate, malo, idq;

experti medici modo, qui, non incidit, nisi in extremo periculo venam: ita ille, in extremitate, ut quisque commilitonum valētior, infidet aggerem, facile apud hostes coniectum, in eo cardinem verti salutis obfessorū, quæ fortissimus tutanda susciperet. Omnes igitur vires illuc conuertunt, & dum depellere stationem non valent, pertuso inferius aggere, ac ex emissis aquis, nouissimè nocere dum volūt, opportunissimè profuerunt. Fons quippè ad ipsum marginem castrorum inter lutulenta arundineti, subito erupit tanta dulcis aquæ copia, quanta vniuersis sufficeret.

Sed da veniam precor Serenissime Rex, si prolixior sum, rursus ignosce si festino, hoc siquidem professā breuitas, illud merita Magni Parentis Tui iubent. Materia dicendorum suppetit, inopia eloquij contrahit. Orator quidem ille Christiano paganus Seneca instat. Debemus hoc ( inquit ) virtutibus, vt non præsentes solum illas, sed etiam è conspectu ablatas, colamus, quo-

quomodo illæ id egerunt, vt non vnam in  
ætatem prodeßent, & beneficia etiam post  
se relinquerent: ita & nos non vna ætate  
grati simus. Etenim iterum allubescente  
bello pestis illa Vkrainensis insurgit, im-  
manis sanguinis Christiani helluo Chmiel-  
nickius, accito Tauricæ Principe Iſtan Gie-  
reio, euocata plebe, spreta præteritorum  
Amnestia Clementissimi Regis, prouocat  
arma ad Beresteczko: nocentissimis lo-  
cuſtarum agminibus occurſum est. Tridua-  
no conflictu pugnatum acriter, profligati  
Scythæ, datur debito rebelle agmen exitio,  
aut fugitiuum, intra ſæpimenta carraginis  
colorem tantisper differens, absconditur.  
Ecquæ Triariorum phalæges primæ in ho-  
stem inuectæ? Quo duce prima impulsa a-  
cies? Cuius Legionis acrius cum hoste col-  
lata signa? Testimonium meritæ virtuti,  
me ſilente, date veterani. Vos Sandomiriëſis  
Palatinatus municipes, contribules meos,  
appello, quam alacritatem, verba cientia  
ex Circum equitantis ore accepimus, an-  
tequam

tequam vim in hostem effunderet. Reni-  
dente vultu, demoto capitis tegumento,  
qua singulos, qua vniuersos alloquebatur;  
ut non irasci dices, post verba, exemplo  
præxit, cum Quartiana Legione sua, multi-  
tudini hostium immersus. Inde cædes,  
mox victoria, omnino cōsumata ea, si in tal-  
pæ fodinis illis deprehēsa insecta, præclu-  
lo exitu suffocarentur. Eius consilij autor  
ac patrator operis offerebat se Hieremias,  
sed obstante quodam modo Fato instaurā-  
dæ paci, datum alio negotium fuit, & alia  
mandata, simule lapsa retibus fera est. Ast  
insequitur fugaces Exercitus Regni, instat  
simul & Wisniowecius, pro solatio temerè  
actæ rei accipiens, perterefactam semel  
plebem facili negotio componi posse. In-  
sita quodam modo Venatoribus excande-  
scentia, si opportunoloco deprehensa præ-  
da, per incuriam dimittatur, ægre post  
consectanda. Multo magis bellorum euen-  
tus ex primo instanti pendent, in quibus  
non datur bis errare.

Verum

Verum cursum gloriae ultima rerum  
Linea sttit. Ad Pawołociam confederat  
Exercitus, cum finem vitæ incomparabilis  
heros accipit, in ipso Legionum amplexu,  
ferro inuictus, vi febris extinguitur. Vbi  
mortui per Castra rumor peruaferat, quisq;  
accurrere, & ad conspectum sub Gonopæo  
ex angue corpus, vestigales extremi Offi-  
cij adamato. Duc non negare lachrymas.  
Indoluere amici, indoluere qui videri po-  
terant inimici, omnes, sublata cum sublato  
inuidia, desiderium amissæ virtutis, tetigit,  
Elatum corpus fidissimorum Centurionū  
ac Tribunorum manibus, campum imple-  
uerant mæstæ circum circa Legiones, deor-  
sum obuersis signis, ac feralibus tubici-  
num lessis, non simulanter, mærens turba  
dolorem suum testabatur. Nec arescebant  
lachrymæ, donec aucto in patriam corpo-  
re, sublata causa, mæror publicus aliquate-  
nus inhiberetur. Hic finis fuit incliti bella-  
toris, ita optime moritur pastor pro grege,  
Dux inter Legiones, miles in bello. Vespa-  
sia-

sianus olim ex contingentì suo, statariam mortem Imperatori conuenientem esse dixit, quid si, non ut ignavi solent, inter viros, & arma moreretur.

Quid memorem Materna è stirpe inclitum Sariorum Stemma, quorum Hastis muro velut Aheneo protegebatur Polonia. Memor adhuc, dum Magni illius Ioannis Zamoscij Supremi Regni Cancellarij ac Copiarum Præfecti, qui in uasoribus profligatis, aut captis, fædifragis cæsis, hostibus domitis, pacata Polonia, Regno Regi, Rege Ciuiibus reddito, præter vernaculas, in tantum externorum scriptis (quæ vix unquam alienis virtutibus æqua) celebrari meruit. Sciuisse Poloniā qualem Ducem habuerit Zamoscium, qualem simile habitura sit, prorsus ignorare. Quod si omnē deriuatum, habet naturam sui primitiui, si promanantes aquæ, naturam originis referunt; & infusum Nobile Patrum robur, velut igniculi quidam in posteris, emicat. Quomodo & Serenissimus noster abire à se iplo

ipso posset, quem vel sanguis à Tantis ma-  
ioribus, vel à Tali vtroque Parente, Natura,  
vel consuetudo, denique non degenerantis  
stirpis, fortē reddent.

Hic mihi iam cliuosa via supereſt, & cū  
plerique in initio dicendi perhorreſcant,  
in fine ego cōmoueor. Hactenus cum Sym-  
patriotis, velut remigibus huius nauis egi,  
nunc ad supremum eius nauclerum insti-  
tuendus sermo. Ad quem, si ut subditus  
loquar, laudes afferendæ ſunt; si ut liber,  
vitanda adulatio. Magna quidem fortuna  
hoc peculiare habet, ut ſi de illa quidquam  
afferat, à fauentibus, non ſuffeciffe, ab in-  
uidis aſſentari arguaris. Ego alterum ex-  
iſtis nego, proſiteor alterum, vtrumque de-  
precor. Ut verò Rosa, quæ ante quam folia  
explicet odorem ſpargit; ita Rex Noſter,  
ante fortunam egregiūs, ea dedit optimæ  
indolis ſpecimina, quæ & debitas laudes  
exigunt, & grata ſunt recordantibus, ſoli  
Autori ſuo dum memorantur onerosæ. In-  
ſita ſemper bonis verecundia, cum nulli mi-

L

nus

nus laudari cupiant, quam qui magis me-  
ruerunt. Fragravere optima institutione  
rigati mores eius, dum iam recta indole,  
iam amplis doctoribus maioribus suis, in-  
struebatur. Peragratæ Europæo sub Cli-  
mate gentes, ac inspecta penitiora Rerum-  
publicarum Arcana, & quod vidisset, &  
quod aspiceretur, nunc vtrumque condu-  
cit. Iam idiomatum cognitio, ea pronun-  
ciationis gratia, vt quos alloquatur, non v-  
nius Poloniæ Ciuem credant. Fabulata  
olim antiquitas, ab Hercule in cunis ene-  
ctos angues, & Vlissem obturatis cera  
auribus, malefidos Syrenum cantus elucta-  
tum. Nocentiora Tu Serenissime Noster  
insecta compressisti, ac scopulos multipli-  
ci naufragio famosos, enauigasti, dū caues.  
Resoluat se in luxum, excusabili, vt putat,  
delicto peccatura aliorum adolescentia, Tu  
Tibi eorum legem ponebas, quæ alij licere  
putarunt. Non expugnauit obduratum il-  
lecebris animum, affectus ille, cui & Victo-  
res orbis succubuere. Ille ætatis lubrico,  
ac pro-

ac prona in lapsu adolescentia, nemo Parentum, nemo maritus cohorruit, ad aduentum introeuntis, salua ubique continentia fama. Intendent se porro ad normam honesti, studia omnium, nemo Turpilianus, ijs moribus se placere Regi suo arbitrabitur, qui priuato & iuueni exositi fuere: cum probè constet, plus in hac gente profici exemplo, quam imperio. Nec animi moderationem infra locauerim, sicut enim ferrum in igne, botrus in torculari, ferrum sub ictu mallei, ita aduersitas cuiusque experimentum est. Si quid aliud hoc certè Te ante ætatem Virum ostendit, cum ad illum seruiliis belli turbinem, tot annis cumulata felicitas, vno velut ictu concidit. Ad hæc præcoxi Fato sublatu parens, vnicar spes immaturi pignoris, ipse in solatium orbitatis contubernio Optimi Principis receptus, abducatur magis à sensu, quam ab iniuria; stetit tamen erectus & vno tenore æquabilis.

*Si fractus illabatur Orbis*

*Impavidum ferient ruinae*

Optimè nobiscum actum est Poloni,  
quod Regem nostrum erudierunt impro-  
spera, sciet probe magnam ferre fortunam,  
qui aduersæ non succubuit. Optimè Te-  
cum Rex, ut decumanis fluctibus iactatus,  
sapientibus ratione, Regibus Exemplo, om-  
nibns documento, in summo apice consti-  
tutus ostendas, non cunas aut seriem na-  
scendi, sed Actus virtuosos transire in effe-  
ctum claritudinis Regum. Adde ( ait e-  
*Bonifacius* ) xulans sapiens ) quod felicissimi cuiusque  
delicatissimus sensus est, & nisi ad nutum  
cuncta suppetant, omnis aduersitatis iu-  
solens, minimis quoque prosternitur.

Nunc velut ad Numinum aras precabū-  
di aduoluimur; ita ad Regum quoq; nostro-  
rū Maiestatē supplices auerruncādis malis,  
preces afferre necessum, Vesta quippè di-  
gnitas est, quædam diuinitas. Hic conque-  
ri licet, hic remedia poscere expedit, donec  
inuestigata mali causa, afflictis Quiritibus  
succurrant. A nobis nihil priùs Serenif-  
fime Rex audies, nisi vt alumnus Patronam,  
tolas,

colas, & tenerrime ames ; Romanam in-  
quam Ecclesiam, quam quicunque in terris  
deditantur agnoscere Matrem , in cœlo  
Deum Patrem sperare nequeunt. Thronus  
Sarmaticus, ab omni Hæreseos labo sem-  
per intaminatus fuit; Diadema, quo redi-  
miris, nullius Heterodoxæ manus concige-  
runt. Tu Verus huius Almæ Matris Filius,  
conuerte Te ad æternæ veritatis Solem, nec  
vnquam ex hac statione dimoueri Te patia-  
ris. Per Deum Polonis Regnas , regnet Po-  
lonis per Te Deus, id est Orthodoxa reli-  
gio, non fucata pietas , inconcussa fides ,  
prisci denique mores , sero redeant postli-  
minio. Minus est, quod Regno Poloniæ de-  
cesserunt, sed quod ab Ecclesia auulſæ do-  
lēmus, ne reseruato quidem libero Roma-  
næ religionis Exercitio. Adhæc Saluificas  
Cruces, redemptionis nostræ signum, du-  
ræ ceruicis Schisma delubris suis amouisse  
fama est. Est in quo Regiam curam, ac so-  
licitudinem Deo approbes. Enitere ob-  
lecramus in perrennem istam gloriam, vin-  
dica

dica contemptum Fidei, vindicabit Te de  
inimicis Tuis Deus, cum omnia prospera  
euenant colentibus eum, spernentibus ad-  
uersa. Catholicizent, Christianizent in  
superlativo gradu Reges alij, Tu ardenti  
zelo fac noscaris, quia in effectu, non titu-  
lo, consistit virtus agentis. Ecclesia  
Nauis est, nauis item nostra Respublica,  
sed illa Prætoria, in qua ad Gubernaculum  
Petri Summus Nauclerus sedens, hanc  
classem Christianitatis, in pelago mundi  
moderatur. Hoc gubernaculum secutus  
non errabis, imò Constantinum Poloniæ  
Teodosium & Carolum Nobis in Te osten-  
des.

Religioni indissolubili fœdere anne-  
xa se Tibi Offert Astræa. Etsi tacitura tri-  
stitia contractos vultus fert, inadulabili ocu-  
lorum acie austерitatem ostendit, Cœlestis  
Diua Iustitia est. Olim nullo in terris præ-  
uaricante, hic habitus ac species fuit, Frons,  
maiestas, oculi prudentia, genæ pudor in-  
temeratus, os sapientia, lingua eloquium,  
pectus

pectus, clementiæ depositorum, cor amo-  
ris pænu, manus fortitudo, pedes erigen-  
dorum oppressorum desiderium. Illa est  
quæ pace publica viuit, salute populorum  
reficitur, Religionis germana Soror Iusti-  
tia. Gladium quidem dextera vibrat, sed  
ita suspenso ictu, non ut statim feriat. Indi-  
gnatur malis, sed resipiscientiam, quam pœ-  
nam mauult, & dum non inuenit, bonos fe-  
cisse contenta. Et hic finis Regum propter  
quem asciti sunt, hic terminus, ad quem  
tendere debent, scilicet iustitiæ administra-  
tio, vnde olim ad Adrianum Imperatorem  
iudicium protelantem, mulieris Romanæ  
supra sexum generosa vox. Si otium non  
habes in via iudicare, noli ergo regnare.  
Certè constituit Deus Reges, ut faciant Iu-  
dicium & iustitiam. Reges quippè sunt vo-  
cales Leges, animata lura, bilanx stateræm,  
quæ nisi in æquilibrio consistat, vacillat Iu-  
stitia, quavacillante, corrunt Regna, & de  
gente in gentem transferuntur.

Hæc Astræa, dum alia manu ancipitem  
Ensem,

Ensem, altera bilancem tenet, illo reprobos  
ex æquo castigat, ista præmia bonis ex me-  
rito elargitur. Eademmet Iustitia est, sed  
distributiua vocatur. Quia æqua dispen-  
satrix, omnia suis proportionibus librans,  
disponit præmiantem, & excitat merituros.  
Sine hac indotata virtus manet, & ab ingra-  
titudine turbis, plerumque occasio. Inde  
non sola Roma vidit Coriolanos, non sola  
Scipiones exilio mulctauit. Nec pri-  
dem alicuius Magni Herois Marmor,  
incisam tulit Epigraphen, ingrata Patria  
ne mori quidem in te licet. Hæc igitur di-  
stribuens, usum sui offert Tibi Serenissime  
Rex, ac Te Supremum arbitrum vult. O  
vtinam suspenso minacis dexteræ ictu, di-  
tributiuam capessas, nam firmiori insistes  
vestigio, si ciues beneficijs, non seueritate  
continueris. Hoc in Solio Dei gratia recū-  
bis, cui inexhaustus fons benefaciendi sub-  
est, ex quo, velut Amalhææ cornu, perpe-  
tus largiendi copia suppetit; ea ratione sta-  
tus nostri, ut finis vitæ unius præmiati, in-

cre.

crementum sit alterius meriti , ad vitæ dū-  
taxat tempora tributis beneficijs, mox in a-  
lios prout meruerint transferendis. Sed qui-  
bus magis aut quantum vnicuique tribuas  
discernet non iniqua personarum & merito-  
rum , æstiu matrix mens tua , iam diuina  
quia Deo propior es. Aderit sane magni  
**Consilij Angelus** , è sublimioribus intelli-  
gentijs additus parastates ac Regiæ muni-  
ficienþæ manuductor. Credo equidem, si  
sua quemq; in altero naturâ delectat , & si  
similitudine morum trahimur , non petaces,  
sed meritos , non Velociores sed probos , à  
Te optimo præmijs affectum iri. Amabis  
bonos & proueches , & postquam prouexe-  
ris, qualis ipso sis documentum dabis , iam  
miti remedio efficiens , vt ne minimi improbi-  
tatem prodesse palam sit. Illos illos potis-  
simè artubus mutilatos , attrito vulneribus  
corpore , inter captiuitatis mala detentos ,  
insumptis militiæ patrimonijs , respice ve-  
teranos. Fac , agnoscat , quomodo non fru-  
stra ætatem sub signis Tuis impensur erūt,

M

dum

dum illorum reminisceris ac foues, quorū  
sanguis sub alio Principe fusus, sub Te de-  
mum præmiatur. Evidem aliæ gentes,  
indociles pauperiem pati, per commercia  
fluxas opes inuestigant, scrutantur aliæ ima  
terræ viscera aurum eruentes, quod tamen  
nec tegit, ne vulnerat. Ferrum Poloni re-  
tinent, quod velut natura ipsa accingente la-  
teri, ne domi quidem, & in pace discingūt.

*Tacitus* Poloni, natiua indole, status ratione, voca-  
tione Equestris, ad arma quodam modo ob-  
ligati sunt. quibus vbi per turmas aduenire,  
nulla acies obſtiterit. Refice ergo Se-  
renissime Rex fatigatas emitorum spes,  
& excuties iuuentuti ignauiam; intendetur  
Tyronum feruor, vbi cathapracti militis  
Sarissas, plectro fidicinis, aut fuso lanificæ  
feliciores videbunt. Togati quoq; se insi-  
nuant, æquum ut vtraque Pallás Tē suum  
Mœcenatem recognoscat. Alleuandi sunt  
benigna manu, sed non illi, qui ignauis  
Canibus similes, Cicuratas solummodo al-  
latrant pecudes, imbelli aduersum lupos  
nisu.

nisu. Hi sunt labes sæculi, ac Regiæ de-  
honestamentum, hæc fori purgamenta, in  
Gynæcei penetralibus arma virumque ca-  
nunt, debellaturi super mensa Alexadrum,  
mucronem ferri netum quidem attrectare  
sustinentes, dum acinacem exempto com-  
parant. Sed illis tribue, quos Tecum non  
cum fortuna Tua loqui animaduertes, qui  
postquam fecerunt suadenda, iam suadēt,  
facienda, non ut placeant, sed profint. Mu-  
tas quin etiam inter istos belli fragores tor-  
pentes, benigno intuitu respice, imo ijs  
cum fædus ini, quidni præconia hæc tem-  
pestiue concilias, magna mox Orbis Histo-  
ria futurus. Eriget se ista messis vrticis ac  
olio suppressa, si benigitatis Regiæ im-  
bre, velut serotino, rigabitur. Sed cum  
largiris, ( non meus sed omnium Status  
scitorum sensus est ) caue obsecro ne nimi-  
us sis. nemo tam gratiosus reperiatur,  
quem multa conferens oneres, complures  
amplo redditu præfecturas, fac ne des vni,  
sparge ac diuide inter aliquot, qui om-

nium ingenij ac ministerio indiges. Intendes Cuium virtutem, à Te remouebis odia, nemo priuatis peculijs, nemo sanguini parcer, & irrepræmiati, fortunæ suæ non Tibi imputabunt. Imo ad securitatem iter præparas, si neminem nimium effers, quia persæpe Regum munificentia, condidit hoc culmen potentiaz, ex quo ambitiosi pugnant in Reges.

Sed ut connexi Circuli catenam faciunt, ita arcto colligatæ nexu virtutes, mutuos sibi cohærent. In testudine, nisi omnes neruos modulate intendat fidicen discrepat concentus. Ita nisi Princeps velut satelito, cunctarum virtutū stipctur, multum ad veræ laudis perfectionem deesse credit. Proinde molli gressu, Clementia cōcomitetur Iustitiam, non ut oppositum, sed temperamentum eius, non quæ punire vetet, sed quæ à poena, ad lenitatem cum Iudicio, declinet. Maiores nostri Regibus suis, ex ingenij qualitate, varia nomina indidere. Iam Iusti, Pij, Pudici, Probi, iam

Auda-

Audaces, Criousti, Crispi, Cubitales dicti,  
nemo crudelis fuit vt diceretur, nemo in-  
sanguine Ciuium volutatus māsueti omnes,  
ac mites, & quantum ad præmia veloces, tā-  
tum ad pœnas pigerrimi. Nec Tu Serenif-  
sime noster, hanc amoris populi conciliatri  
cem clementiam, à Te remoue poscimus,  
imò amplectere, & illam Regij throni fir-  
mamentum ac basim habe.

Compendiosæ laudes Octauiani Augu-  
sti fuere, Romam ex lateritia in marmoreā  
trasformāte: forte vt ambulacra porticum  
in crustata, magnitudinem operantis inno-  
cuo sudore testarentur. Non hoc à Te Se-  
renissime noster flagitat Polonia: Non vt  
celebratas tepidis fontibus Baias instaures,  
Piramides erigas, Fora prolates, Thermas  
& Aquæ ductus condas, & quæ alia sunt ab  
solutæ pacis opera. Sed poscit vt exaltetur  
dextera Tua, vt in Deo tuo sis fortis, non vt  
audacter pugnes; sed vt fortiter propugnes,  
non vt internum splendorem Vrbium pro-  
cures, sed vt externam tranquilitatem sta-  
bili-

bilias. Magnus gestis fuit Boleslaus pri-  
mus, Casimirus primus rebellium domitor,  
Vladislaus item primus bellicosā prole fau-  
stus, Sigismundus primus in tantum amans  
a matuſque Polonis; ut vocabulum Sancti e-  
tiam viuus meruerit. Etiam Tu Serenissi-  
me, dum albo Regum nostrorum MICHAEL-  
IS nomen primus infers, enitere ut qui ele-  
ctionis seriè succidis, fortitudine quæ Re-  
gia dos est distinguaris. Recipis ægrum  
Corpus Reipublicæ, sana; recisa membra,  
agglutina Id Fortitudine præstabis, si inui-  
ctus ad labores, fortis ad pericula fueris, &  
ut aduersis non succubuisti, ita prosperis  
non effereris. Fausto omne inditum no-  
men habes supremi Hierarchicæ Militiæ  
Polemarchi, sequere Tutellarem Patronum  
& Spartam quam nactus es ornans, bella  
Domini inuictus præliare Fortitudine ve-  
rò, ut in hostem inuincibilis sis Vouemus,  
ab intra ut ameris à Ciuib⁹, enitendum. Fa-  
tificunt quippè Troni quos metus & terror  
fulciunt, Amor populorum custodit re-

gna

gna & firmat Solia. Aureum certè moni-  
tum.

*Non sic excubiae non circumstantia tela  
Quam tutatur Amor.*

Gens equidem nostra, ab omni æuo  
Reges suos filiali affectu coluit, reverētiam  
& amorem simul miscens, quidni Te & cum  
caro ex carne, os ex ossib⁹ nostris sis. Quid  
ni Te? si adeuntibus facilis, desideria vel  
quærelas patienter audis, postulata non re-  
ijcis, supplices non excludis, summo Iure  
non abuteris, O innibus pates. Conclau-  
bus velut indagine includi ferinum est, se-  
creto satiari non Reigum. Sol Princeps o-  
mnibus beneficium fidus. ac conspectibile,  
Videas Tu tuos simul aspiciaris. Sigis-  
mundus primus Rex Poloniæ, in gremio  
nobilis Poloni reclinem se suave soporari a-  
iebat, non indormitus alioquin, nisi dul-  
cem somnum induceret tranquilla mens  
ab amore populi. Parem Tu quoque Se-  
renissime noster affectum experieris, si in  
cutellam non dominationem creditum po-

pulum, non fastu aut tristi arrogantia, quæ  
plerumque mater odij est, sed leni & amica  
Maiestati comitate rexeris. Atqui teredo  
ligna, erugo ferrum consumit, verum no-  
centior Aulis Regum ab adulatione pestis,  
quas saepius assentatio, quam hostis per-  
uertit. Hoc est dulce venenum, quod sine  
sensu per venas manat, lethale virus, vix  
vñquam Principibus evitabile. Ecquæ Re-  
gia? sine his soricibus Palatij? quis Princeps?  
ab hoc gratio so vulnere securus? eo grauio-  
re iectu quod mulcet dum lædit. Dicunt ma-  
lum bonum, & bonum malum, eo usque  
progressi, ut dulcem asserant saliuam Prin-  
cipis. Aiunt naturæ periti Cedrum carie  
esse inconsuibilem. Cedro insistas Se-  
renissime Rex, cedro insideas, ex ea deni-  
que arbore præseruatiua aduersum sapi-  
dam venenositatem præmuniaris. Si qui-  
dem non Lappæ vesti promptius, quam hi  
Principibus adhærescant. Affrica ergo ta-  
les ad Lidium sinceritatis lapidem, & ex-  
clude fulfurros simulatæ laudis. Gnar Cor-  
neli-

neliani Oraculi, Pessimum inimicorum  
genus esse laudantes.

Quare non alia maior laus Tua erit,  
quam si rectorum consiliorum fulcro insi-  
stes, si expertæ fidei salutaria suggerentibus  
obtemperabis, optimum quemq; fidelissi-  
mum putans. Scriba Florentinus ignita  
quadam vi ingenij, suo Principi subtilia sua-  
deat, Temne Princeps, impia peruersi ho-  
minis dogmata. Ab Etruria alter, cum Al-  
berto Regi Poloniæ subdola præcepta in-  
susurrat, odiosum reddit. Denique ut pa-  
leas à grano separat ventus, ita euentus con-  
siliorum qualitatem ostendit. Liberos in Li-  
bera Republica æqua aure auscultabis, nec  
offendaris, Medicata potio, in amarescit  
sed sanat, assentatio verba byssina conqui-  
rit sed nocet, prodest simplex veritatis Ora-  
tio. Ama Rex Serenissime ingenuos, quia  
veritas, priuatæ fortunæ bonum, non dici-  
tur nisi cum periculo Regibus. Deerunt re-  
cta suadentes, si suafisse offensa fuerit. Ama-  
uit Jagiello Rex, gentilis tuus Zbigneum

N

Car-

*Cromer*, Cardinalem Olesnickium, non quia suo  
periculo, imminentem Regi, cataphracti  
Theutonici hastam repulit, sed quia saluta-  
ria suggesit. In Ertores non personam aut  
Majestatem acer: dum ait. Multi è Ciui-  
bus tuis indicta Causa permissu tuo bonis  
spoliantur, Pauperes, à potentioribus op-  
primuntur, Iustitiam, noctes protractis e-  
pulis, dies ignauo somno transigens, non ad  
ministras. Adhæc miseri coloni à comitatu  
tuo diuexantur, promiscua crudendæ mo-  
netæ licentia paracharagmate Regnum in-  
uoluit, deniq; superstitionis Ethnicæ vesti-  
gia non plane in te eradicata cerno &c. Nō  
amasse Regem suum Consiliarius visus, co-  
vlsque, vt generosa dicētis libertate offensus  
Rex, ac Senatu se proripiens integrissimo  
præsuli minaretur. Sed deferuente affe-  
ctu, Magni Olesnickium & illi gratias ha-  
bet, illi filiorum curam extremis codicillis  
delegat, addito affectus sinceri teste Annu-  
lo, Maritali à Diua Heduige pignore. Tales  
igitur, allcges Serenissime Rex, aut al-  
lectos

lectos ita forma vt exuant prioris Aulæ ingenium

Hæc igitur Nauis Polona non Colchica aurei velleris spolia vehens, non Ægyptiam superbo fastu reginam, sub purpureis velis inter Nympharum suffimēta reclinem. Sed incliti Regni, ac tot populorum salutem, tranquilitatem ac libertatem ferens, dum Te Serenissime Rex noster MICH A EL gubernaculo admouit, ignitis cælum penetrat suspirijs, æterna illa, Maiestatem Tuam incolumem, vt seruet diu. Omnibus Sarmatiæ Ciuitibus, tam quibus salus, quam quibus gloria cara est, cuncta complectens Votum Salus Regnantis. Utinam sospes, felicem moderamini ad hœcas dexteram, secundis ventis placido mari, ac reconciliato demeritis nostris cœlo aspirante benignius. Gratia Dei, datus es nobis Rex, eiusdem gratia Regnabis, quod ipsum æternum Numen, castigationis rigorem compensat solatiorum obuentu. Speramus certè certius, quod Carinam hanc Sarmaticam, in ignauo cessu otiali non permittes, sed diriges Vela, qua contumax vorticosi Borystenis ripa rebellioni cubile iam dudum præbet, & dum Poloniæ parvicia manu oppugnat ipsa perit. Hinc quæ vliginosus Tanais paludibus se euoluit scruteris, aut si rependarū agere mauis, cognoscat Hyperborea plaga

non præscribere aduersum malæ fidei possessores.  
Campestria quoque arenam illam Tyrocinij mili-  
taris, Maiorum Tuorum vestigijs calcatam, quidni  
Aquilis Sarmaticis, infides. Inuoluet complicata-  
tis signis Lunas suas, tantisper minax Barbaria, ubi  
Tuam triplic Cruce munitam aspexerit. Vbiq; au-  
xilio Diuino, Fortuna Tua Virtute Polonorū inuinci-  
bilis sis, Monoxyla Euxinus Pontus formidat, & A-  
pellmanni, sub Vladislao conatus, vtinam sub Te  
in Baltico mari ad effectum deducantur. Effice  
igitur Optime Regum, vt recocto ære in aurum  
Scoria in melius metallum, Saturni sæculum sub  
Te viuamus, eo maiore prosperitatis experimento,  
dum nuper quid in bello deterrimum, iam sub Te  
quid in pace optimum; vtriusque gnari ac memo-  
res æstimabimus. Nunc vero illa Romana accla-  
mandi formula iterum resumpta finio. Felicior  
Augusto sis, melior Traiano, vel si Vernacula  
meliùs informant, & speculum perfectius in-  
spicias quo propius. Celebrior Boleslao  
Chrabi, Pugnacior Criouusto, Casimi-  
ro iustior, Pientior Iagiellone, Amabi-  
lior Sigismundo primo, Sigismundo  
Tertio longæuior, Vladislao IV.  
Victoriosior sis. Omnia  
deniq; omnium in Te  
velut in compen-  
dio sunt.

A. M. D. G.



9944

D<sub>3</sub> (D<sub>4</sub> v.)

